

*Maurus item quantos potui cognoscere Graios?
Quorum præcipue studijs pars maxima constat.
Nemo tamen culpet si sumo exempla novella,
Nam melius nostri seruarunt metra minores.*

Neque dubium est ipsum Terentianum ad extremam ætatem peruenisse, & in hoc opere condendo ita versari solitum, quasi animum tali studiorum officio recrearet, seniumque suum mollioribus curis transigeret. De hoc Terentiano Augustinus etiam meminit referens illius versiculum de Marco Varrone,

Vir doctissimus undecunque Varro.

Quod habuerit filium nomine Bassinum, & Nouatum generum, facile colligitur ex ipsis Terentiani carminibus. *Hæc Crinitus.*

At longe magnificentius de Terentiano nostro sentit Ant. Muretus, cum ait,

Terentianus Maurus asperitatem grammaticarum præceptionum inusitata quadam numerorum suauitate condiuit. *item alibi, suauissimus Grammaticorum.*

(21)

M A R I
V I C T O R I N I,
G R A M M A T I C I E T
R H E T O R I S,
D E
O R T H O G R A P H I A, E T
R A T I O N E C A R M I N V M
L I B R I I I I I.

S E R V I M A R I
H O N O R A T I, D E
P E D I B V S V E R S V M,
A C C E N T I B V S, E T
Q U A N T I T A T E S Y L L A B.
L I B R I I I.



Apud Petrum Sanctandreamum,

C I O . I O . L X X X I V .



DE MARIO VICTORINO,
E IOACHIMI CAMERA-
RII EPISTOLA,
EXCERPTA.

MARI Victorini nomen prescriptum inue-
nimus in codice cuius copiam nobis fe-
cit eximius Iurisc. Ioannes Sichardus,
cuius uno quidem in loco tituli mutatio-
nem deprehendimus, eiusmodi tamen, quæ non debe-
re in dubium vocare constantem & certam huius no-
minis autoritatem. Hunc notum est vixisse illis tem-
poribus, quibus & Donatus Grammaticam Romæ do-
cuit, & a Grammatica ad Rhetoricæ artis professionem
progressum, in opinione omnium singulari fuisse, & in
foro statuum meritum. Idem admodum senex Chri-
stianam est pietatem amplexus, quod Augustinus
luculenter exposuit, cuius verba hæc sunt:

AVREL. AVGVSTINVS LIBRO
IIX. Confessionum, Cap. II.

LEGEBAT, sicut ait Simplicianus, sanctam
scripturam, omnesque Christianas litteras inue-
stigabat studiosissime & perscrutabatur: & dicebat
Simpliciano, non palam, sed secretius & familiarius,
Noueris me iam esse Christianum. Et respondebat ille,
Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi

in ecclesia Christi te videro. Ille autem irridebat, dicens, Ergo ne parietes faciunt Christianos? Et hoc saepe dicebat iam se esse Christianum: & Simplicianus illud saepe respondebat, & saepe ab illo parietum irrisio repetebatur. Amicos enim suos verebatur offendere superbos demoniacos: quorum ex culmine Babylonica dignitatis, quasi ex cedris Libani quas nondum contriuerat dominus, graviter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. Sed postea quam legendo & inhiando auxit firmitatem, timuitque negari à Christo coram Angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri: reusq; sibi magni criminis apparuit, erubescendo de sacramentis humilitatis verbi tui, & non erubescendo de sacris sacrilegis superborum demoniorum, quae imitator superbus acceperat: depudit vanitati & erubuit veritati, subitoque & inopinatus ait Simpliciano, ut ipse narrabat, Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non capiens se laticia, perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est primis instructionum sacramentis, non multo post etiam nomen dedit, ut per baptismum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Ecclesia, &c.



A R S
GRAMMATICA
 MARI VICTORINI
 DE METRICIS
 DIDASCALICIS.

AR TIVM Grammaticarum scriptores quidam ab arte inceperunt, quidam à Grammatica, quidam à definitione, quidam à voce, quidam à littera. Ars, ut placet Aristoni, collectio est ex perceptionibus, & exercitationibus ad aliquem finem pertinens: id est, generaliter omne quod certis præceptis ad utilitatē nostram format animos. Aristoteles quomodo? τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐκ καταλήψεων συγγεγραμμένων πρὸς τέλος εὐχρηστον τῷ βίῳ συντεινόντων. Nos qualiter? Ars est summa rerum dictio comprehensarum atq; exercitatarum ad aliquem vitæ finem tendentium. Huic arti quot contraria opponuntur? Tria. Quæ? κακοτεχνία, ψευδοτεχνία, ματαιοτεχνία. Grammatica autem ars quæ est? Spectatiua orationis & poematis. Hæc quot modis discernuntur? Tribus. Quibus?

Intellectu poetarum, & recte loquendi scribendi que ratione. Huius plerique quot partes tradiderunt? Duas. Quas? *ἔξηγητικήν*, atque *ὀριστικήν*. Quæ est *ἔξηγητική*? Quæ enarrat. Quæ *ὀριστική*? Quæ definit. Vt Varroni placet, Ars grammatica (quæ à nobis litteratura dicitur) scientia est, quæ à poetis, historicis, oratoribusque dicuntur ex parte maiore. Eius præcipua officia sunt quatuor, ut ipsi placet, scribere, legere, intelligere, probare. Vt Aristoni placet, Grammaticæ, est scientia poetas & historicos intelligere, formam præcipue loquendi ad rationem & consuetudinem dirigens. Definitio est, ut ait Cicero, quæ, quid sit, de quo agitur, ostendit quam breuissime.

D E V O C E.

VOx est aër iactus auditu percipibilis, quantum in ipso est. Græci qualiter? *ἀήρ περιληγμένον ἀκοῆ ἕσον ἐφ' ἑαυτῶ ἐστίν*. Vocis formæ sunt duæ, articulata, & confusa. Articulata est, quæ audita intelligitur & scribitur, & ideo à plerisque explanata à nonnullis intelligibilis dicitur. Hanc Græci quid appellant? *ἐναρθερον φωνήν*. Huius autem species quot sunt? Duæ. Quæ? Nam aut Musica est, quæ tibijs, vel tuba redditur, aut quolibet organo: aut Communis, qua promiscue omnes videntur. Confusa autem est, quæ nihil aliud, quàm simplicem vocis sonum emittit, ut est equi hinnitus, anguis sibilus, plausus, stridor, & cætera his similia. Alij eam, quæ dicitur in usu articu-

ticularis, litteralem dixerunt, ut, nomina, verba, aduerbia, & cæteras orationis partes. Omne autem explanatiuarum vocum initium & indiuidua vox est littera, ex qua articulata vox existit, inque ultimam resoluitur. Vnde consequens est, ut de littera dicamus. Sed prius est, ut elementum atque orationem definiamus. Elementum est cuius est littera minima figura significantium vocum, aut à quo vnumquodque sumit incrementum, & in quod resoluitur. Oratio est ordinatio vel compositio dictionum significantium continuam sententiam.

D E L I T T E R I S.

Littera est vox simplex, vna figura notabilis. litteram quidam putant dictam, quasi legiteram, quia legenti iter præbeat. Quidam dixerunt leuitteram, quia leuat ut iteretur, id est delectat iterum ut scribatur. Vox simplex quare? Ideo, quia eius vocis, quæ *ἐναρθερον* à Græcis dicta est, sub significationem aliquam venit, vel ut minima pars. ideoque à nonnullis Nota vocis articulata dicta est. Vna figura notabilis. Ideo vnaquæque littera suam figuram habet. Nam syllabæ pluribus figuris, id est, litteris notantur: nisi cum vocales vice syllabarum funguntur: Nam accidunt vnicuique litteræ, Nomen, Figura, Potestas. **N O M E N** est, quo appellatur. **F I G U R A**, qua notatur. **P O T E S T A S** qua valet. Litterarum aliæ sunt vocales, aliæ consonantes.

Vocales sunt quæ per se proferuntur, & per se syllabam faciunt: Sunt autem quinque, a. c. i. o. u. Harum duæ i & u transeunt in consonantium potestatem, cum aut ipsæ inter se geminantur, aut in aliis vocalibus iunguntur, vt Iuno, vates. Consonantium vero est species duplex. sunt enim aliæ semiuocales, aliæ mutæ. Semiuocales sunt quæ per se quidem proferuntur, sed per se syllabam non faciunt: sunt autem numero septem f. l. m. n. r. s. x. Ex his vna duplex littera. x. Constat enim aut ex g. & f. vt rex regis, aut ex c. vt pix picis. Ideoque hæc littera à quibusdam negatur. Mutæ sunt autem quæ neque per se proferri possunt, nec per se syllabam faciunt: sunt autem numero nouem, b. c. d. g. h. k. p. q. t. Ex his superuacua quibusdam videntur. K. & Q. Quia c. littera, harum locum possit implere. H. quoque aspirationis notam, non litteram æstimamus. y. & z. propter Græca nomina admittimus.

Littera est humanæ vocis pars. Litteræ Romanæ ad imitationem Græcarum factæ. nouas etiam habent, vt, h. q. u. item superfluas quasdam videntur retinere, x. & k. & q. Nam y. & z. propter Græca nomina additæ sunt. Nec dubitatur his litteris omnibus absque sola u. remotis, latinæ linguæ reliquas decem & septem posse satisfacere. Nam pro h. aspirationis nota, vt Græci faciunt, poni posset f. & p. & eadem aspiratione completur. Nihilominus pro k. & q. c. littera facillime haberetur. x. autem per c. & f. possemus scribere:

bere: sic & z. si modo Latino sermoni necessaria esset, per. d. & s. literas faceremus, sed vt omnes, quæ vsui traditæ sunt, recipiamus, sunt viginti tres. Ex his aliæ sunt vocales (vt supra diximus) aliæ consonantes, aliæ mutæ. Vocales sunt quæ plenam vocem proferunt, per quas etiam separatas syllabas fieri contingit. Consonantes quæ nunc præpositæ nunc subiunctæ vocalibus consonant. Mutæ, quæ neque proferri per se possunt, neque syllabam facere.

DE ENUNCIATIONE Litterarum.

PLacuit autem, antequam de natura syllabarum quæ nunc longæ, nunc breues in metris asseruntur, dicere incipiã, prius de enunciatione singularum litterarum & sono, qui in ore nostro vario quodam vocis ictu, nisi quæ formatur, exordium sumere. Non solum autem vox sonusue icto aëre, vt audimus, exprimitur, sed & omne corpus verberatum & impulsum, sonum confusæ vocis dabit, & quidem varium ac multiplicem pro qualitate plagarum. Diximus igitur litteras in duas species, id est, vocales consonantesque; discerni: quarum alias, sine quibus syllaba coire vix potest, vocales, alias, quæ coniunctæ superioribus vocis sonum adiuuent, & sensum auribus ex vtriusque coniunctione, velut geminum afferant, consonantes appellari: Eas quoque in duas partes, id est, semiuocales, mutasque; digeri, è quibus semiuocales in enunciatione propria ore semiclusio

strepunt. Mutæ autem nec ictu oris, nec linguæ nisu sonum ædere coniunctæ vocalibus queunt: igitur singulæ qua oris nostri sede conceptæ, quo spiritu nisi ve formatæ vocis suæ vim, potestatiq; exprimant, vt potero, explicabo.

A, littera rictu patulo, suspensa neque impressa dentibus lingua enunciatur.

E, quæ sequitur, reprehensio modice rictu oris, reductisq; introrsum labijs effertur.

I, semicluso ore, impressisq; sensim lingua dentibus, vocem dabit.

O, vt e, geminum vocis sonum, pro conditione temporis, promit, vnde inter nostras vocales. & Græcorum, vt superuacua prætermittæ sunt: igitur. o. qui correptum enunciat, nec magno hiatus labra reserabit, & retrorsum actam linguam tenebit: longum autem productis labijs, rictu tereti, lingua arcu oris pendula sonum tragicum dabit, cuius obseruationis & in e. littera similis penè ratio est.

V, litteram quotiens enunciamus, productis & coëuntibus labris efferemus. Et ne. y. connexam Græcis vocalibus prætermiserim, cuius frequenté vsum quædam verba seu nomina desiderare noscuntur: ipsam quidem Græcis vocabulis, cum inciderint, reseruabimus, loco autem huius. u. litteram, aptam nostris vocibus finximus, quã nisi per y. coniunctam Græci scribere ac pronunciare non possunt.


Nunc de consonantibus, quæ sibi vocis sonore, atque

atque ipsa oris expressione sunt proximæ, vt sese obtulerint enarrabimus: ex quibus. B. & P. litteræ cōiunctione vocaliū quasi syllabæ (nã muta portio penitus latet, neque enim labijs hiscere, vllumve meatū vocis exprimere nisus valet, nisi vocales exitum dederint, atq; ora reserarint) dispari inter se oris officio exprimuntur: nam prima explosio è medijs labijs sono, sequens compresso ore, velut introrsum attracto vocis ictu explicatur. C. etiam & G. vt supra sono proxime, oris molimine nisuq; dissentiant: nam. c. reducta introrsum lingua, hinc atq; hinc inter molares surgens, hærentem intra os sonum vocis excludit: g, vim prioris, pari linguæ lapsu palato suggerens lenius reddit. D, tamen & T, quibus, vt ita dixerim, vocis vicinitas quædam est, linguæ sublatione ac positione distinguuntur, nam cum summos atque imos coniunctim dentes suprema sui parte pulsauerit. d. litteram exprimit: quotiens autem sublimata partem qua superius dentibus est origo, contingeret. t. sonore vocis explicabit. K. & Q. superuacuo numero litterarum inferi doctorum plerique contendunt, scilicet quod. c. littera harum officium possit implere: Nam multa & otiosa parte, qua. c. incipit, pro qualitate coniunctæ sibi vocis supremum exprimit sonum. Nonnihil tamen est, vtra earum prior sit c. seu. q. siue. k. quarum vtramque exprimi faucibus, alteram distento, alteram producto rictu manifestum est. H. quoque inter litteras otiosam Grammatici tradiderunt, eamque aspirationis

notam coniunctis vocalibus præfici, ipsi autem cōsonantes tantum quatuor præponi, quotiens Græcis nominibus Latina forma est, persuaserunt, id est, c. t. r. p. ut Chori, Thymos, Phyllis, Rhombus, quæ profundo spiritu, anhelis faucibus, exploso ore fundetur. Superest ut septem reliquas semisonas, spiritu quoque instrepentes, ordine quodam persequamur, è quibus litteram inum labium superius imprimentes dentibus, reflexa ad palati fastigium lingua, leni spiramine proferemus. Sequetur. L. qua validum nescio quid per partem palati, qua primordium dentibus superis est, lingua trudente, diducto ore personabit. At. M. impressis inuicem labijs, mugitum quendam intra oris specum attractis naribus dabit. N. vero sub cōuexo palati lingua inhærente, gemino naris & oris spiritu explicabitur. Sequetur. R. quæ vibratione vocis in palato linguæ fastigio fragorem tremulis ictibus reddit. Dehinc duæ supremæ. S. & X. iure iungentur, nam vicino inter se sono attracto sibilant rictu, ita tamen, si prioris ictus ponè dentes excitati ad medium lenis agitetur, sequētis autem crasso spiritu hispidum sonet, qui per coniunctionem. c. & s. quarum & locum implet, & vim exprimit, ut sensu aurium ducamur, efficitur. Z. apud nos vltima, in qua non sonus litteræ sed vocabulum, & duplex syllaba est, Græcis tantum, cum in usum venerint, apta vocibus, ut. y. superius propter peregrina vocabula recipiemus.

DE

DE ORTHOGRAPHIA.

Nunc quoniam res admonuit, non absurdum videtur de Orthographia paucis scribere, vel Analogia. Est itaque in principio dicendū, quem admodum antiqui scripserint, dehinc quid nunc debeamus obseruare. Consonantes litteras non geminabant, ut in his, Annius, Lucullus, Memmius, & cætera his similia, sed supra litterā, quam geminari oportebat scilicet, Sicilicum imponebant, cuius figura hæc est,  quod erat signum geminandi, sicut apparet in multis adhuc veteribus, ita scriptis libris. ijdem voces, quæ pressiore sono æduntur, ausus, causa, fusus, odiosus, per duo s. scribebant, aussus, & cætera. Iuxta autem non ponebant c m. deinde nec Alcmenam dicebant, nec Tecmesam, sed Alcumenam, inde Alcumenon & Alcumena tragœdiæ, donec Iul. Cæsar qui Vopiscus & Strabo, qui & Sesquiculus dictus est, primus de Tecmesa scripsit tragœdiam suam, & in scæna pronunciari iussit. Accius vero cum scriberet anguis, angueis imponebat. Item nec. z. litteram, nec. Y. in libro suo rettulit, quia quæ ante fecerant Næuius & Liuius cum longa syllaba scribenda esset, duas vocales ponebant, præterquam quæ in. I. litteram inciderant, hanc enim per E. & I. scribebant: Gneius Pompeius Magnus & scribebant & dicebant: Kadamitatem pro Kalamitatem. Nigidius Figulus in commentarijs suis nec. K. posuit pro. Q. nec. X. Idem. H. non esse lit-

teram, sed notam aspirationis tradidit, Licinius Caluus. q. littera non est vsus: Consultum senati ipse scripsit: & ad Caium Cæsarem, senatus consultum. Idem, Optimus Maximus scripsit, non vt nos per. V. litterã. Diuus Augustus genitiuo casu, huius domos meæ, per. o. non vt nos per. u. litterã scripsit. Messala, Brutus, Agrippa, pro sumus, simus. Nos paucioribus litteris scribimus, quam antiqui scribebant, vt, narus, nauus, natus, nosco: & illi has voces, & similes istis. g. anteposita scribebant: cuius consuetudinis nos vestigia retinemus, cum scribimus ignarus, cognatus, ignauus, cognosco: Nec solũ litteras eximimus, sed voces quoq. ipsas commutamus, vt cum dicatur, nemo & nullus, ex quibus prior vox ad homines solos pertinet nemo, quorum genitiuum casum aliter quam nos veteres extulerunt: nemini enim & nulli, dixerunt: Item, bonæ frugis quoque, nos bonæ frugi, quamuis nullum nomen singulare Latinum per omnia genera, numerosque omnes, & per casus. i. littera terminetur, tantum omiſſa parte eius, solum frugi scribimus. sed nos nunc, & aduentum, & apud, per. d. potius, quàm per. t. scribamus, atuentum & aput: & linguam per. l. potius, quàm per. d: præsidium per. d. potius, quàm per. l. Hactenus autem & hodie, non vt antiqui, haccetenus, hoccedie. Et illuc, potius, quàm illo. Et pro lauabro, labrum: simul, non semel: & Alcmenam, quàm Alcumenam: Alcmeonem, quàm Alcumeonem: Tecmessam potius, quàm interposita. u. Tecumessam:

messam: Et vbi duarum consonantium sonus percutiet aures, vt in sabbatis, saccis, effert, effugit, fallit, gallus, vallus, macellum, nullus, pallium, Pallas, per duo. l. sicut per duo. n. annum, Cynnam, & similia. Sic & per duo. p. apparatus, Iappam: Per duo. r. Arruntium, Varrum, currit, ferrum. Item per duo. s. assiduum, Cassium, fessum: Et per duo. t. Attius, Vattius, & similia: Nam vt color oculorum iudicio, sapor palati, odor narium dinoscitur, ita sonus aurium arbitrio subiectus est. Clarorum autem virorum, quos supra nominavi, consuetudinem in libris reperire possumus eorum: Sacratum debet scribi, non secratum: Sacratum autem in compositione consecratum facit, per. s. & e. non per. s. & a. Sic & castus, facit incestum, non in castum: Promiscua etiam promiscue facit, non promisce: u. enim perducit debet sicut assiduus, assidue facit. Quotiens numerum significamus, per. t. non per. d. scribendum erit, vt tot, quot: sic & quotiens præpositio erit ad, vt, Ad mortem si te fors. Et, Ad quem sic roseo, &c. Si erit autem coniunctio per. t. vt, At regina graui, &c. Antiqui pro sed, set scribebant, sed cum nostra ætas partem litterarum in eo reseruarit, partem, breuitatis gratia, ex eo detraxerit, nonnullam immutarit: & nos per sed, quàm per set scribamus. Nomina quæ singulari nominatiuo casu in us litteris terminantur, vt Atticus, Brutus, & similia, genitiuo casu vna recepta. i. declinabuntur & scribuntur,

non per duo. i. vt Attici, Bruti. Quæ autem nominatiuo. i. litteram habuerint, vt, Gellius, Furnius, genitiuo geminare debent. i. vt Gellij, Furnij. Voster, vortit, & similia per. e. non per. o. scribere debemus. Has voces & similes istis: itemq; , agendum, cedendum, capiendum, faciendum, per. e. potius quàm per. u: sicut acerrimus, existimat, extimus, intimus, maximus, minimus, manibus, precium, sonipes, per. i. quàm per. u. Quæ voces. z. litteræ sonum exigunt, eas per. z. sine vlla hæsitacione debemus scribere, & quæ per. y. potius, sicut exigit ratio, per. y. quàm per. u. vt, Eutyclus, Hylas. Degressus autem per. e. quàm per. i. Degredi enim ex superiore loco descendere: digredi, ex aliquo loco discedere. Nostri Latini cum litteris vterentur, quas à Græcis acceperant: a. b. c. d. e. i. k. l. m. n. o. p. q. r. s. t. & Græci vocales haberent totidem, quot & nos, a. e. i. o. u. (nam. n. & v. postea sunt ab his repperæ) e. & o. ternas habebat apud eos potestates, vt. e. esset breue & productum. I. autem longum quodammodo sonat, cum & e. & i. iunctum est. Et o. similiter quoque cum esset vnū breuem, & idem faceret longam syllabam, præterea exprimeret vocem, quæ apud eos per. o. & v. scribitur ov, sic apud nos quoque. e. & o. totidem potestates habebunt, & easdem, quas apud Græcos. Græci in datiuo, tam. n. litteræ, quàm. o. adijciebant. i. iuxta: ita nostri, vt apparet ex libris antiquis foederum & ex legum, qui etiam si ex frequenti transcriptione aliquid mutarunt, tamen retinent antiquitatem:

Nam

Nam. o. non solum pro breui & longa, sed etiam pro. u. poni, vt pro populus, ibi populus: & vbi piaculum, ibi piaculum: Sic & pro huic, hoic: profundus, fonus. item alia multa. Apud Græcos autem fuisse Cio cum. i. & o. non dubito. E. autem duarum obtinet vicem, breuis & productæ. O. vero & pro breui & pro longa & pro. u. posita est. Eidemque litteræ in datiuo casu adiecta est. i. Y. quoque & suo sono posita est, & subiuncta litteræ. h. vt est apud nos quoque: item adiecta litteris. a. & e. facit syllabam: posita est & pro breui & pro longa, cum Græce per. v. scribimus. V. similiter & pro breui & pro longa, quoties consonantibus subiuncta est pro. o. & v. Græci sequebantur sonum tantummodo litterarum. θ. φ. χ. priusquam à Simonide inuenirentur, exprimebant iuxta. τ. & iuxta. ρ. & κ. adspirationis notam. H. ponēdo. ζ. autem varie nunc per. ζ. & σ. nunc per. γ. & ς. Itē. ψ. nunc per. ς. nunc per. ρ. Quibus nostri. ζ. acceptam in fine suarum posuerūt: reliquis autem ita scribunt, vt à Græcis sunt traditæ. Y. vero eodem ordine scriptum habemus quo illi recisa tantum virgula iuxta: sic quod apud illos iunctum. o. litteræ. v. facit syllabam, nostri etiam quoties eiusdem soni longa syllaba scribenda esset, & ipsi adiungebant. o. litteræ. Inde scriptum legitis Loucetios, nuntios, & lumen & cetera: sed nec. g. quidem nec. q. Latinus sermo introduxit: ex quibus. q. & fuisse apud Græcos: & quare desiderat fungi vice litteræ cognoscere potestis, si pontificum libros legeritis: Nunc

B

Nunc enim apud Græcos iuxta. *æ*. est posita. *ε*. autem apud Græcos obtinet notam numeri sex, pro quo apud antiquos. *c*. poni solitum, ut pro agro Gabino, Cabino: pro lege, lece: acna, pro agna: auctio certe ab augendo dicta est: & numeri cum habeant. *c*. ut ducenti, trecenti, sexcenti. *g*. reliqui habent, ut quadringenti, nongenti, cum à tertio quoque ordine, ut apud Græcos quoque positum est. *c*. pro. *g*. & suo loco. *k*. post receptum. *g*. superuacuum cœpit esse. **CUM**, aduerbium temporis, antiqui quatuor litteris scribebant. In his, quum apud Catonem, rursus quom, sed antiqui cum ita scriberent, pronunciabant tamen perinde, ac si per, cum, scriptum esset. Illa quidem scriptura confusa, quod. *u*. pro consonante, & *o*. pro vocali correpta accipiebant: Sicut apud Græcos trium valebat vice, ut esset. *o*. breue, idem longum: & ut ante dixi, *oo*. in quibus peccabant, quod alijs litteris scribebant, quam quibus enunciabant, & aliter legabant, quam scribebant. Item Cuius per quouis litteras scribebant. De quibus ne plura scribam, hoc custodite: ut cum fuerit aduerbium temporis, per. *qu*. siue vnum. *u*. siue duo scribatis, ut quum primum, quum hoc facerem. At si erit coniunctio, ut, cum Caio, cum Lucio, per. *c*. scribi debeat, ne quicquam deperdat ex significato: non enim aliud per quom scripta, aliud per. *c*. *u*. *m*. sonat. Sed ubi aliquando fit aut soni iactura. & totidem penè litteræ scribuntur, dandum est aliquid antiquitati. Reliquas voces, quæ ante vocalem habuerint. *u*.

pro

pro consonante positum, ut quando, quæritur, quispiam, quoddam, per. *q*. potius quam per. *c*. scribetis. At cum locutus, secutus per. *c*. quum quidam præcipiant ad originem debere referri: quia est locutus à loquendo, secutus à sequendo, per. *q*. potius quam per. *c*. hæc scribenda: nam concussus, quamuis à quatio habeat originem, & cocus à coquendo, & cotidie, à quoto die, & incola ab inquilino: attamen per. *c*. potius quam per. *q*. scribuntur. Quicquam & quicquid & quocquod prima syllaba quoties habuerit. *d*. idem vos perducite, & superponite. *c*. Nam cum sint hæc composita & confusa, si utrâque vocem suis litteris scriptam relinquatis, duas partes orationis separatas relinquatis: quicquam enim ductum est à quidquam. *æ*. syllabam quidam more Græcorum per. *æ*. scribunt, ne illud quidem custodientes, quia omnes ferè quide orthographia aliquid scriptum reliquerunt, præcipiunt nomina fœminina casu nominatiuo. *a*. finita, numero plurali in. *æ*. exire, ut Aeliæ: eadem per. *a*. & *i*. scripta, numerum singularem ostendere, ut huius Aeliæ: inducti à poetis, qui pictai vestis scripsere: & quod Græci per. *i*. potissimum hanc syllabam scribunt propter exilitatem litteræ. *æ* autem propter naturalem productionem iungere vocali alteri non possunt. Iota vero quæ est breuis, eademque longa, aptior ad hanc structuram visa est. Quam potestatem apud nos habet & *i*. quæ est longa & breuis. Vos igitur sine controuersia ambiguitatis, & pluralem nomi-

B 2

nominatiuum, & singularem genitiuum per. æ. scribite: nam qui non potest dinoscere supra scriptarum vocum numeros & casum, valde est hebes. Quatinus sæpe cum sit recte scriptum, vos. e. perducitis, & facitis Quatenus: & sæpe. i. litteram commutatis in. e. De qua ne plura loquendo videar vobis exprobrare imperitiam, contētus sum, quid inter vtranq; vocem intersit, significare. Igitur quatinus est, vt quia nam: Quatenus autē significat finem loci cuiusdam, velut qua fine. Nihil est, quod non vultis consulere de his, quæ ignoratis: nam vt aliquid nescire turpe non est, sic in deterius scribere, velemēdare, turpissimum est. Per terminē dicitur auspiciū, quia fit, cum de fine Romano in agrum peregrinum transgrediuntur. Sed scribam voces, quas alij numero singulari & plurali indifferenter per. u. & o. scripserunt, vt auus, coruus, nouus, & cætera. Vos nominatiuo singulari per duo. u. quorum vice consonantis fungitur alterum, alterum accipitur pro vocali: nam per vos. scriptæ, significant pluralem numerum, & casum accusatiuum, auos, flauos, coruos, & horum similia: nec enim mihi superest ocium, qui possim singula exequi, nec sufficit memoria, cum vix hæc, quæ scribo, implere possim. Attamen has etiam voces, quæ. u. potius quàm, o. sonant, per duo. u. scribite, vt, vulua, vultus, & similia. sicuti sine vlla dubitatione per. vo. quæ sonant ita, vti voluit, voluo, volutus, conuolutus: nam littera. u. vocalis est, sicut. a. e. i. o. sed eadem vicem obtinet consonantis

tis: cuius potestatis notam Græci habent, F. nostri vau vocant, & alij digamma: ea per se scripta non facit syllabam, anteposita autem vocali, facit, vt *Φόμαξα. Φεκηβόλος & Φελένη*. Nos vero, qui non habemus huius vocis nomen aut notam, in eius locū quoties vna vocalis plures ūe iunctæ vnam syllabam faciunt, substituimus. u. litteram: nam vocalis nulla bis eadem posita facit vnam syllabam, assiduus, exiguus, Laocoon, tribuūt, statuunt, & similia. At cum præponitur vocali, tunc accipitur pro consonante, vt est anguis, extinguit, lingua, peluis: in vuido enim, prior. u. vocalis est, sequēs cui subiecta est. i. consonans. Est præterea eiusdem potestatis. i. vocalibus anteposita, consonantis habet vicem, & subiecta alteri consonanti, vocalis est. Hesternum producte dici debet: nemo enim est, qui Latine modo sciat loqui, qui aliter quàm producta syllaba hesternum dixerit. Deus est, inquā, vt Reus, & facit genitiuo casu Dei, vt rei. Nominatiuo igitur plurali hij Dei potius quàm dij. In fascia sine causa adiecistis apicem, quia fascia dicitur, quod voluendo fit fascia. Haud aduerbium negandi, & significat idem quod apud Græcos *ἄ*, sed ab antiquis cum aspiratione, vt alia quoque verba, dictum, & adiecta d. littera, quam plerisque verbis adiciebant. D. tamen litterā conseruat, si sequēs verbū incipiat à vocali, vt, haud aliter muros. & haud equidē. At cum verbū à consonāte incipit, d. perdit, vt, haut dudum, & haut multum, & haut placitura refert: & inducit. t. Et huiusce, & huiusq;

recte scribuntur, sed suo loco vtraque: nam ab hocce, & ab hacce fit huiusce: huiusque autē aliud significat, idem vniuscuiusque. Has voces nonnunquam, nunquam, nunquid, quanquā, vnquam sæpe recte scriptas relinquitis: aliquando enim in. m. commutatis, numquam pro. n. facitis. m. Quid igitur in posterum debeatis obseruare, attendite. Clari in studijs viri, qui aliquid de orthographia scripsere, omnes ferè aiunt, inter. m. & n. litteras mediam vocem, quæ non abhorret ab vtraque littera, sed neutram proprie exprimat, tam nobis deesse quàm Græcis, cum illi Sambyx scribant nec. m. exprimere, nec. n. Sed hæc ambiguitas in his fortasse vocabulis, sicut in Ampelo, Lycambe: nam in nostris supradictis non est: quia non inter. m. & n. medium sonat, vnquam & nonnunquam & similia, sed inter. n. & g. nam & Græci cum scribunt ἄγγελος, ἄγγος, ὄγκος, & similia, si syllabam. an. sequatur syllaba quæ initium habet à. g. & à. c. conuertunt. n. litteram in. g. & pro. n. g. scribunt, vt ἄγγελος, ἄγγισα, ἄγγυρα: cum inter. n. g. medium sonet vocis productæ: non, vt alijs videtur, inter. m. & n. quoniam in copulatione syllabarum familiarium & nobis habenda ratio est. n. quàm. g. potius scribetis, nonnunquam, quanquam, & similia: Nam si inter. m. & n. esset disputatio nobis, quæ in alijs quidem verbis, in supradictis autem non est, commodius credo acturos fuisse receptæ authoritatis viros, si hanc potius redderent rationem, ne duæ partes orationis, quæ iunctæ voces confundunt, integre

integre scribantur tam. d. inde, quàm. n. vnde, inde, & similia, etiam quod in his vocibus, quæ ultimam habent. m. si sequatur. n. mutatur. m. in. n. vt cum Hannibal, Hiempfal. Iam aliud est scijt, aliud sciuit: scire enim facit sciscere, id est, iubere, præbere. Non omnia rotunda rata sunt cum. l. & r. geminari solent, quoties ratio non repugnat aurium sono, vt in nullo, in Verre: Camelus vero & loquela, querela & suadela & tutela vno. l. scribēda sunt, vno. r. norat, narus. Orthographia Græcorum ex parte maxima in iota littera consistit: nam & pro breui, & pro longa, velut ἰάσων & ἰονία: & in quibusdam medijs interponitur verbis, vt αἰΐς. & in extremis, vt ἐυχῆι, πορεύηι: & casibus datiuus adiungitur: quum. n. enunciatur & eadem subiecta. s. litteræ, facit longam syllabam ε, quod antea seruabatur apud nos quoque: nam & pro breui & pro longa nunc etiam valet, datiuus autē casibus apud nos iuxta apponebatur, vt antea vobis dixisse meminimus, cum populoi Romano, pro, populo, solitos priores scribere ostenderem. Cùm vero eadem. i. e. litteræ iuncta esset, non solum pro longa syllaba accipiebatur, sed nominatiuum pluralem ita scriptum significabat, vt amicei, bonei, doctei, Romanei, & similia: at si per solum. i. scripta esset, eadem genitiuum singularem faciebat, vt huius amici, & cætera.

Denique omnium qui de orthographia scripserunt, de nulla scriptura tam diu, quàm de hac querunt, quæ per. i. litteram singularem genitiuum, &

quæ per. ei. litteras nominatiuum pluralem faciunt, locuti partim acute, vt mihi quidem videtur, inepte illud atque etiam ridicule, nam mihi quædam succurrunt: Pilum aiunt militare, & vinea, si sit supra quam milites aggerem instituunt, & ficam & filicem quæ secet, per. e. & .i. scribenda: at si pilum sit, quo pinfitores vtuntur, & vinea quæ ruri colitur, & fistula, per. i. A quibus libenter quærerem, quo modo scripturi essent ædificij pila, & quomodo singularem dicerent, aut pluralē in his, res, species, & his similia. Samnitē licet per omnes casus. i. longam custodiat, tamen nominatiuo correpta. i. sanguis, puluis est. Hoc femur, quamuis nominatiuo per litteram. r. dicamus, tamen genitiuo feminis, datiuo femini, ablatiuo femine, scribite. Cognatæ quædam vocantur inter se vocales, vt scitis, & in declinationibus inuicem succedunt. Item consonantes inter se, sed proprie sunt cognatæ, quæ simili figuratione oris dicuntur, vt est. b. f. r. m. p. quibus Cicero adijcit. u. non eam, quæ accipitur pro vocali, sed eam quæ consonantis obtinet vicem, & anteposita vocali, fit vt aliæ quæque consonantes. Quoties igitur præpositiones sequetur vox, cuius prima littera incipit à supradictis litteris, id est, b. f. r. m. p. u. quæ vox coniuncta præpositioni significationem eius confundat, vos quoque præpositionis litteram mutate, vt est, combibit, comburit, confert, confundit, commemorat, comminuit, comparat, comuellit, comualescit, compellit, comuocat: nō combibit, comburit &

rit, & similia. Sic etiā præpositio iuncta vocibus quæ incipiunt à supradictis litteris. n. commutāt in. m. imbibit, imbuit, infert, inficit, immemor, impius, immitis, impotens. At, sub, ob, quæ finiuntur in, b. litteram, id est, vnam ex quinque supradictis cognatis, quoties verbum sequetur, quod initium habeat à supra dictis, in eam. b. mutabunt, à qua vox incipit, vt, suffert, sufficit, suffundit: non subfert, subficit: sic & supparat, suppressus, sic suuoluit, suuertit: Ob, autem, mutatur in cognatas easdem, vt, offert, officit, & ommouet, ommutescit, & oppandit, opperitur, & ouuertit, ouuius. Et tamen quoties verbum sequens incipit ab. l. aut. r. n. suā commutat in eam, à qua sequens vox incipit, vt, collatum, collectum, illinit, illectus, collinit, illudit. In r. autem, vt, corradit, corripit, corrodit, corrumpt, vt irrepit, irrogat, irruit: perdit vero. n. litterā, cum sequens verbum à vocali incipit, coëmit, coequat, coit, cooritur. Anceps, ancilla, ancilia, angustum, anquirit: non iudico per an, sed more Græcorum per. ag. solitum scribi. Nunc adijcio, sicut inter. m. & . n. litteram vox media tam Græcis desit, quàm nobis, ita inter. n. quoque & . g. deesse: Neque enim aut illi ἀγγελον & ἀγκύλην & similia, siue per. c. siue per. g. scripserint, alterutram in pronūciando litteram exprimunt: nec nos supradictas voces, siue per. c. siue per. g. scribamus, proprie aut c. exprimimus in dicendo, aut. g. quæ vox, quoniam ordini litterarum nostrarū deest, & familiarior est auribus nostris. n. potius quàm. g. vt anceps, &

ancilla, & angina, & angustum, & anquirit, & ancora, & similia, per. n. potius quàm per. g. scribite. Sicut per duo. g. quoties duorum. g. sonum aures exigent, vt aggerem, suggillat, suggerendum, suggellum, & similia. Sunt, qui inter. u. quoque & i. litteras, supputant deesse nobis voces, sed pigrius quàm. i. exilius quàm. u: sed (pace eorum dixerim) non vident. y. litteram desiderari, sic enim gylam, myserum, syllabam, proximum dicebant antiqui. Sed nunc consuetudo paucorum hominum ita loquentium euauit: Ideoque voces istas per. i. scribite. Si memores essetis dixisse me vobis, præpositionis litteram. n. quoties verbum sequeretur, aliter in his dumtaxat quæ ex hac præpositione verba composita sunt, mutari solere in. m. nō scripsissetis in prolem, n. quod per. m. debuistis, improlem scribere: Improles enim est, qui nondum vir est. Igitur, quæ Græce scribitis per. ψ. litteram scribetis Latine per. ps. Græci priusquam reciperent in ordinem litterarum suarum. ζ. &. ψ. eas quidem voces, in quibus apparebat. g. vt αἰζ, αἰγός: φλόζ, φλογός: & similia scribebant per. γς. in quibus vero incidebat. κ. vt ἀναζ, ἀνακτος: δόναζ, δόνακος: & similia, per. κ. &. σ. In quorum declinatione incrat. b. vt ἀραψ, ἀραβος, per. β. &. σ. Et in quibus. π. κύκλωψ, κύκλωπ, per. π. &. σ: Similiter nostri, voces quæ in. x. litteram incidunt, si in declinatione earum apparebat. g. scribebant. g. &. s. vt: coniugs, legs: & similia per. g. &. s. At quæ voces. ψ. litteram habent, hæ. per. b. &. s. scribebantur si in declinatione acciperent. b.

vt

vt cœlebs, cœlibis: plebs, plebis. Posteaquam à Græcis. ζ. & à nobis. x. recepta est, abiit & illorum & nostra perplexa ratio, & in primis obseruatio Nigidij, qui in libris suis & x. littera non est usus, antiquitatem sequens. Sed libenter quæterē, quibus litteris scripturi essent eas voces, quæ in declinatione nec. g. & s. exeunt, vt, nix, niuis: senex, senis: sexus, sexus: & oppidum in Hispania Austruxi, quod est ab attraho, & vexi. Voces igitur quæ. x. litteram incidunt, relicta antiqua obseruatione, per. x. scribite, quæ vero per. ψ. ea per. ps. potius quam bs. ψ. enim nec in nostris, nec in Græcorum libris inueniuntur subiecta. b. litteræ. Ea vero quæ. ψ. sonant, & non declinantur, vt supra dicta, per. bs. scribite, vt abscedit, abscedit, abscondit & abstrahit, obstat, obstipuit, absynthium, gybsum. Nam hyems & sumsit & insumfit, demsit, sine dubio, per. ms. scribetis. Et quando in harum vocum mentionem incidimus, nec consumptum, nec emptum, nec redemptum, nec temptat, attemptat, & similia istis, per. pt. scribetis vitiose, sed vt ego scripsi iuxta mt. ponetis, & lucrifacietis litteram, quæ detracta nihil de significato vocis deminuit, & scribitur expeditius. Credo quod ignoretis nomen priuilegium quod dicitur, lex enim priuilegij in vnū hominem est dicta. Video vos sæpe & orco & vicano. h. litteram relinquere, sed credo vos antiquitatem sequi, sed cum asperitas vetus illa, paulatim ad elegantioris vitæ sermonisque est limam perpolitata, sic vos quoque has voces sine. h. secundum con-

suetudinem nostri sæculi scribite. Item corona, ancora, sepulcrum, sicut quæ, h. in disputatione desiderât, vt, brachium, cohors, harena, pulcher, sed ea quatenus debeatis obseruare, ignoratis: inducti fortasse eo, quod legistis præceptum antiquorum, qui aiunt scribi quidem omnibus litteris oportere, in enunciando autem quasdam litteras elidere. In quo, vt idem sæpius dicam, bis peccatis, quod aliud scribitis, & aliud legitis, quàm scriptum est: quid enim facietis in his, quæ velitis nolitis, & scribenda sunt, & legenda vt scripta sunt; vt exempli gratia, existimo, non exæstimo, & conquinat, non coinquinat, & similia. Eliduntur autem vocales singulæ, cum duo concurrerint, vt,

Men' incepto desistere victam? Non, méne. Et,

Ten' inquit, miserande puer. Non téne.

T. quoque ex consonantibus eliditur, Vt,

Postquam res Asiæ: non postquam.

M. autem, vt, Mult' ille & terris.

Vocalis & consonans pariter,

Non equidem inuideo. Et breuiter Troiæ.

Cum fuerit autem scriptum, audiendus est, & scribendus est, & mutandus est, & similia generis masculini, primam vocem integram relinquitis: ex nouissima autem e. & s. detrahetis, idem facietis in fœminis, vt prima vox, cuius generis sit, appareat. Idem que in neutris. At hicce & hocce pronominibus, si vox sequens à vocali incipiat, e. nouissimam detrahetis, vt,

Hicc' alienus oues custos bis mulget in hora. &
Manibusque

Manibusque; meis Mezentius hicc est. &
Hocce erat alma parens. &

Hocce Ithacus velit, & magno mercetur Atride.
Non idem sunt Tria, quod Trina: tria enim sunt singularia, trina autem multiplicia, sic trinos calceos, & trina vestimenta, non tria: & terni dicuntur, vt bini, quini, septeni, deni. Quando distinguitis, cum erit perfecta oratio & sensus concludetur, inter nouissimam verbi litteram & primam insequentis in superiore parte versus punctum ponite aliud quam librarius inter duo verba posuit: quoties autem ante distinctum mora fuerit necessaria, similiter inter duas litteras ἀπλῆν auersam, id est, Sicilicū ponite: si vero fuerit Hyperbaton, & longior sensus, at vos in ima parte versus inter duas similiter, vt supra, litteras, punctum clarum ponite, & si prius quàm distinctum concluditur, mora iterum fuerit necessaria ἀπλῆν auersam, id est, Sicilicū similiter in ima parte versus ponite. PR. quoties prætozem significare vultis, nolite interpungere, ne fiat, populus Romanus: nec composita, qualia sunt, leuianima, biduancula, tardigrada: hæc enim sunt specie & significatione vnum. Sed ne ea quidem, quæcumque cum præpositione dicuntur circumpungetis, vt, circumduci, & circumueniri, & circumplecti, & nonnulli, & paulo post: nec hæc vt in Galliam, in Italiam: nec hoc, nec illud, quia infinite dicuntur.

Repertores litterarum Cadmus ex Phœnice in Græciam, & Euander ad nos transtulerunt. a. b. c.

d.e.i.k.l.m.n.o.p.q.r.s.t. litteras numero. xvi. postea quasdam à Palamede, & alias à Simonide adiectas implese numerum. xxiiii. In Comœdia scriptum erat, illum, non recte vos fecistis, illum: est enim, en illum. Grammatici præterea Demetrius Phalereus, Hermocrates, ex nostris autè Cincius, Fabius, Gellius, tradiderunt, ex quibus Cincius paucis, inquit, commutatis, ut ad linguam nostram peruenirent, eas namq; Cadmus ex Phœnice in Græciam, vnde ad nos Euander transtulerat. Scripseram autem vobis, quantum repeto, & alia plura, inter quæ nostros antea, sicut Græcos quoque. xv. litteris vsos: ex quibus fuisse vocales apud vtrosque: his postea quasdam à Palamede, & alias à Simonide adiectas implese numerum xxiiii. Ex adiectis autem nostros solam. x. recepisse. F. vero. g. & q. in Græcis etiã litteris fuisse & nunc esse, sed. G. numero seruire atq; nonaginta significare. F. autem Aëolis dumtaxat idem valere, quod apud nos. u. cum pro consonanti scribitur, vocariq; *εω*, & digamma. Et significaueram prius quàm Græcis inter vocales repertæ sunt. *η*. & *ω*. vicem earum tam apud illos, quàm apud nos explese. e. & o: o. etiã scribi solitam pro syllaba *ου*. E. autem pro. *ς*. & iota, easdemq; & o. & e. quoties accepissent in finem iota, datiuum casum apud vtrosque significare, & harum scriptio- num exempla non solum ex libris veteribus, sed etiam ex peritorum quorundam scriptio- nibus: ut Cameloi, caproi, nam nostri eruditi vno ore. h. quidem &

k. su-

k. superuacuas esse dixerūt, nec indagarunt. *η*. apud Græcos prius quàm reciperetur in ordinem vocalium, tunc cum. e. & pro breui & pro longa scriberetur, ac ita quæ nunc à nobis scribitur adspirandi vocem obtinuisse, & à nostris retentam propter peregrina nomina, nunc poni & ante vocales & iuxta. c. & t. & p. C. autem & nomen habuisse. G. & vsu præstitisse, quod nunc Caius per. c. & Cneius per. cn. quamvis vtriusque syllabæ sonus. g. exprimat, scribuntur. Ita & alia præterea ad has litteras pertinentia. In defrudo apicem secundæ syllabæ imponere debetis, nam à defruendo & decoquendo fit tale quod defrudetur, id est, fraudetur coctura & minuatur. Vocalem litteram. I. pro cōsonāti accedere, manifestum est in his nominibus, iane, iecore, ioui, iucundo. Pro vocali autem valet subiecta consonantibus, & facit nunc breuem syllabam nunc longam, vt, bibit, biga: & citat, ciuis: dies, dicit. Sibi autem ipsa subiungitur in his, vt, aijo, Troija, Gaijus, Aijax. Aduerbia cum. n. scribenda, quotiens, deciens, totiens, & similia per numerum, Atheniēsēs, Mediolanenses, Carthaginēses, & similia: at a quosum, harenosum, & similia sine. n. Coma incisa non cæsaries sed cesaries est à comacesa. Et in eo quod est amans adijcienda est i. littera in genitiuo plurali, si quando sunt participia, aut ex participijs figurata: ex nominibus autē nusquam, vt, ætas, & similia. Internundium scribendam, vt interlunium, & trinoctium: ita internundinium, quod nouem dies inter se continuos ha-

beat, non quod nono die fit. Non est cloaca, ut putatis, sed cluaca, quasi conluaca. Contagio apud omnes ferè veteres scripta est nominatio casu, ut obsidio quoque & obliuio: sed Poëtarum licentia primo fecit contagia & obliuia: postea dici cæpit, & obliuium, & obsidium, & contagium. Cum antiquitatem igitur posterior consuetudo vincat, vos utro modo scriptam vocem hanc inueneritis, ita relinquitte, dum non ignoretis, ab antiquis nominatio hæc contagio dictum. Non est, ut emendastis, porca præcidanea, sed præcidaria, quæ frugum causa immolatur. qui iusta defuncto non fecerunt, aut in faciendo peccarunt, his porca cōtrahitur, quam omnibus annis immolari oporteat, antequam nouam quasi dapem mereat de se capere: præcidaria dicta, quod ante cæditur quam frugem capiat: at illa quæ & in re, & in præfente mortuo quem condituri sunt, immolatur: quia ex ea capere non possint ad quod iusta faciant, præfentanea vocatur. Parilia dicuntur non Palilia: non à Pale dea, sed quod eo tempore omnia sata, arboresque & herbæ parturiant, pariantque. Nouensiles siue per. l. siue per. d. scribendum: communio- nem enim habuerunt litteræ hæ apud antiquos, ut dinguam & linguam, & dacrimis & lacrimis, & Capitodium & Capitolium, & sella à sede, olere ab odore. Est & communio cum Græcis: nos lacrimæ, illi δάκρυα: olere ὀδωδέναι: meditari μελετᾶν. Nouensiles autem, quos Græci συγγεῖα, post nouendij à confidendo, id est, eadem sede præditi.

Sorix

Sorix autem Saurix, auis tributa Saturno ab auguribus: quia tarditati, & vetustati, & senectuti conuenit: nam & in veteranis maxime versatur locis, & noctium est & noctis maxime primæ, & quia tempestatis nuntius atque index parularis. Forcipes quod formum capiant, id est calidum ut fornaces: aut de foro capiant, ut forcipes. Forus autem, status tam in foro, quam in naui & torculari, id est, ληνῶ.

DE SYLLABIS.

Syllaba est coniunctio litterarum, cum vocali vel vocalibus sub vno accentu, & spiritu continuata. nam per solam vocalem abusive syllaba dicitur. minima etiam est syllaba vnius litteræ; ut ea maxima est, quæ ex pluribus constat, ut, stirps. Syllabarum in pedibus differentia sunt tres: sunt enim longæ, breues, & mediæ, quæ & communes dicuntur. Ex his breues vno modo sunt, id est, cum vocalis corripitur, quam non sequuntur duæ consonantes. Longarum autem syllabarum duæ species sunt, nam aut naturaliter longæ sunt, aut positione fiunt. Ex his natura longæ duobus modis constant: vno, si vocalis producta sit, non sequente alia vocali, ut, primus ab oris: nam & pri. & o. & ris, productis vocalibus sunt natura longæ. Item modo sunt longæ naturaliter syllabæ, cum duæ vocales iunguntur, quas syllabas Græci diphtongos vocant, ut ae. oe. au. eu. ei: nam illæ diphtongi non

C

sunt quæ fiunt per vocales loco consonantium positæ, vt ja. je. ji. jo. ju. va. ve. vi. vo. vu. Aliæ vero fiunt positione longæ modis octo. Primo si correpta vocalis desinat in duas consonantes, vt ars. Secundo, si excipitur à duabus consonantibus, vt Acrifionæis Danae. Tertio, si desinit in consonantem, & excipitur ab alia, vel ab eadem consonante, vt, arma, Anna. Quarto, si desinit in duplicem litteram, vt, nox. Quinto, si excipitur à duplici, vt, axis. Sexto, si desinit in consonantem, quæ duarum sonum præbeat, vt, hoc erat. Septimo, si desinit in consonantem & excipitur à vocali loco consonantis posita, vt, aruum. Octauo, si excipitur ab .i. littera duplicata, vt Troia, aïio, Graïius, Aïïax. Mediæ autem siue communes syllabæ fiunt modis quatuor. Primo si correpta vocalis desinat in consonantem, quæ orationis finiat partem, & excipiatur à principali littera vocali. Est enim brevis sic, Te Coridon o Alexi, &c. Et item cum vocalē seu productam, seu breuem, aut diphthongon, & est brevis, vt, in Iulæ Ionio in magno: & longa est autem sic, Glauco & Panopææ, & Inoo Melicertæ. Et itē, Neq; Aoniæ Aganippæ. Tertio modo, si correpta vocalis excipiatur à duabus consonantibus, quarum prior sit muta, sequens liquida. etenim brevis est sic, Valtosque ab rupe Cyclopas: & alibi sic, sese effudere quadrigæ. Item longa est sic, Infandi Cyclopes. Item, centum quadriugos. Quarto modo, si correpta vocalis desinit in consonantem & excipitur à principali littera. h. est enim brevis

-sic

sic, Hic amor, hæc patria. Item alibi, Hic vir hic est, tibi quem promitti sæpius audis. Item longa est sic, Terga fatigamus hasta. Videtur plurimis esse quintus communiū syllabarum modus, qui apud Lucilium, & veteres multos, est frequentatus, vt correpta vocalis desinat in .s. & excipiatur ab alia consonanti, vel vocali loco consonantis posita, vt est illud, Quare etiam atque etiam dico est communis voluptas. Et item, efflantque elatis naribus lucem. Hæ syllabæ pro breuibus apud veteres, pro longis vero apud omnes ponuntur. Potest & hic modus sextus communium syllabarum videri, qui apud omnes veteres semper, & apud Vergiliū plerumque pro longa syllaba est. Nam pro breui apud novos poëtas frequenter, quod est sic, cum verbum siue nomen .o. habet vltimam correptam, non sequentibus duabus consonantibus: vt, Canto quæ solitus, &c. Et, mœnia prima loco fatis. Item, Cui Iuno submissa. & alibi. Heu nimium virgo nimium. In his enim omnibus. o. littera correpta, pro longa accipitur. Nam pro breui non noui tantum posuere, vt Martialis, Non amo te Sabidi. Et apud Vergilium inuenitur, vt est, Nunc scio, quid sit amor. sed qui hanc syllabam longam esse voluerunt, semper elidunt inde .i. litteram, vt sic, nunc sco. quanquam caussa est super hoc verbo, quare necesse est, litteram corripere. In his enim verbis quæ nominum speciem gerunt, eadem corripere oportet propter discretionem. Nam scio, si corripias. o. litteram, verbum est, si producas, nomen singularis

C 2

datiui vel ablatiui, vt huic, & ab hoc scio. Item tale est, monstro, & ostento, & frequentatiua verba multa, vt lecto, facto, scripto, dicto. Nam pronomen, ego, pro breui habere vltimam. o. deprehenditur: vt est, Non ego Myrmidonum, & c. Itē, Ast ego quæ diuum. Item, ergo, coniunctio pro longa habet vltimam litteram. o. vt est, illud, Ergo iussa parat, & c. Propter quod talis syllaba finalis tamen tantum communis esse multis generibus probatur. O. autem littera pro duabus Græcis habetur, id est, pro. ο. &. ω. sicut etiam. e. pro. η. &. ε. & istæ apud Græcos poëtas inuicem pro contrarijs sibi litteris ponuntur, & vocantur *ἀντισημα*: vnde & nostri hanc consuetudinem Græcorum propter metri necessitatem sequuntur. Nam illo versu Virgilius. o. productæ longitudinem seruat: Armatumque auro circumspicit Oriona. Item in eodem nomine eandem litteram corripit, sic: Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion. Itaque & in hoc, & in huic similibus. e. & o. putandum est esse communes syllabas, sed per *ἀντισημα* Græcam recipi posse. Nam etiam. e. naturaliter producta, per eandem *ἀντισημα* Virgilius corripit, vt, gener aduersis instructus Eois. & alibi, primo surgebat Eoo. atque è contrario autem in eodem producta est, sic, Eoasque acies. & alibi, ante tibi Eoæ Atlantes abscondantur. In breui syllaba tempus est vnū, quia nihil morarum illic vox facit: in longa autem duo sunt, quibus tantum quantum in breui ea vox detinetur, breuis autem correpta vocalis efficit,

longas

longas producta. Syllabæ aut natura longæ sunt: aut positione fiunt. Natura, cum vocalis produci- tur. Positione, cum correpta vocalis sequentes habet duas consonantes. Hæc aut in eadem syllaba solet esse, vt ars: aut in proxima, vt amnis: aut in duas syllabas diuisa, vt arma. Sed & duplex littera. x. duarum consonantium loco fungitur. Hæc quoque aut in eadem syllaba solet, esse, vt vox: aut in proxima, vt axis. Præstant idem & vocales litteræ loco consonantium positæ. i. & u. vt, seruus, iniustus: sed hæc in metris facilius deprehenduntur.

Syllabæ positione longæ fiunt his modis: si correpta vocalis, desinat in vnā consonantem, & excipiat ab altera consonanti, vt, arma virumque; cano. Item si desinat in duas consonantes, vt, Est in secessu longo locus, & c. Si excipiat à duabus consonantibus, vt, Acrifoneis Danae, & c. Si desinat in duplicem litteram. x. vt, Nox erat, & c. si excipiat à duplici littera, vt, Axe sub æthereo. Idem hoc & in. z. vt, Mezentis ducis exuuias, quæ apud Græcos duplex est. Item si desinat in consonantem, & excipiat à vocali vice consonantis posita, vt, inueni germana viam. Si desinat in consonantē, qua pars orationis finitur, vt, Omnia vincit amor, & nos cedamus amori. Si correpta vocalis per se partem orationis impleuerit, vt, horresco referens, & c. Liminaque laurusque Dei. Hæc syllaba & inter communes haberi potest. Si vocalem breuē sequatur. i. littera vice consonantis posita, vt Harpyiæque;

colunt. Si post breuem vocalem subiuncta sit consonanti vocalis, & vocalem correptam habeant consequentem, vt, parietibus textum cœcis iter.

Item communes syllabæ sunt & ex his quæ natura longæ sunt, & ex his quæ positione.

Natura, si producta vocalis excipiat a vocali, est enim iōga in hoc, Glauco & Panopæ, & Inoo Me iærtæ. Fit autem in hoc breuis, Te Corydon o Alexi trahit: sua quenque voluptas. Item natura, cum geminæ vocales, quas Græci diphtongos vocant, à vocali excipiuntur. Est enim longa syllaba in hoc, Vlla moram fecere neque Aoniæ Aganippæ. Fit autem in hoc breuis, Insulæ Ionio in magno quas dira Celeno, &c.

His vero quæ positione longæ fiunt communis est, quæ excipitur à duabus consonantibus, vt prior sit muta quàm liquida. Est enim longa In hoc, Immemo es locij vasto Cyclopi in antro. At in hoc breuis est, Lustra domosq; traho vastosq; ab rupe Cyclopi. Potest præterea communis videri ea syllaba, quæ apud Vergilium & pro longa & pro breui posita est, hic vel hoc, si à vocali excipiat, est. n. pro longa, Omnibus hic erit vnus honos, tres præmia primi, &c. Pro breui autem, Hic vir hic est. Sed pro breuibus ferè tantum. Nam vt longa sit, & ipsi & omnibus vsitatum est. Consideranda ergo est in his dumtaxat pronomibus natura. c. litteræ, quod crassum quodammodo, & quasi geminum sonum reddat, Hic & hoc. Si autem, nec,

coniun-

coniunctionem aspiciamus, licet eadem littera finitam, diuersum tamen sonabit, quod facilius diiudicabitur, sed quando alterum habemus, etiam alterum tentemus. In versu est ergo, Hoc erat alma parens, &c. Et, Pro Iuppiter ibit Hic, ait, & nostris illuserit aduena regnis. Sin autem feceris: Nec erat alma parens: Nec ait: speciem suam versus amittit, cum æque & hanc & illam syllabam constet esse correptas. Ergo illæ non ideo longæ fiūt, quod pars orationis finitur, vt putant plurimi, nam idem & in hac effici posset, sed, vt dixi, in pronomibus. c. littera sonum efficit crassorem, & naturam. i. litteræ inter vocales positæ, ac per hoc sonum geminantis imitatur, quibus primæ potestatis quinque vocales existunt. a. e. i. o. u. quæ gemina virtute temporum præditæ dum corripuntur aut aciuntur, longas & breues syllabas metris præstant. Vnde eas haud immerito nostri authores Dichronos pronunciarunt, eoque fit, vt Græcis vocalibus, quamuis numero inferiores, potestate tamen ex æquo respondeant. Omnis autem syllaba cum correpta in se vocalis est vnus temporis, cum producta duorum accipit potestatem. Tempus autem est spacium moræ, per quod syllaba longæ extenditur, breuis vero contrahitur. Ipsa præterea vocalis per se, id est sine societate, atq; adminiculo consonantis, vocis orationisue qualibet parte completa, abusive syllaba nuncupatur.

In. a. littera. A virgo infelix.

In. e. E terra magnum alterius spectare laborem.

In. i. Inunc in gratis offer te irrise periclis.
 In. o. O mihi præteritos referat si Iuppiter años.
 Affectus ingemiscntis seu eiulantis personæ ple-
 runque apud tragicos seu comicos reperiuntur.
 Vel si ex composito accipias, Vuidus Hiberna ve-
 nit de glande Menalcas. Rursus duæ inter se vo-
 cales iugatæ, ac sub vnius vocis enuntiatione pro-
 lata, syllabam faciunt natura longam, quam Græci
 diphthongon vocant, veluti geminæ vocis vnum
 sonum, vt, æ. œ. au. His seu simplicibus, seu con-
 iunctis, connexæ reliquæ litteræ, quod sonum vo-
 cis augeant, crassioresque efficiant, consonantes
 vocantur, quæ, in duas partes dirēptæ, semiuocales
 quidem, v. i. d. abunt, id est, f. l. m. n. r. s. x. ex qui-
 bus liquidæ, quas ἀμετάβολα, siue ὑγρά Græci vocāt,
 sunt quatuor, l. m. n. r. ideoque subiectæ mutis lit-
 teris, quæ in tertio habentur tam ordine quàm po-
 testate, quæ sunt, b. c. d. g. h. k. p. q. t. in declinatio-
 ne verborum seu nominum nunquam à proprio
 tenore, ac legitimo positionis suæ ordine diuulsæ,
 atq; in alteram, litterarum commigratione, tran-
 sflatæ speciem, vt alia deflectantur atque muten-
 tur, qua conditione, etiam in metris communes
 syllabas faciunt.

DE SYLLABARVM

natura & connexione.

Sed vt ad propositum nobis redeam, discussa
 litterarum tam enuntiatione quàm potestate,
 quod cumulo plenissimæ eruditionis aptum ac
 neces-

necessarium præterire absurdum foret, conse-
 quens erit de Syllabarum natura & connexione
 tractare: Nam ideo dicta est syllaba, quod à vo-
 calibus, sine quibus eadem coire non potest, reli-
 quæ litteræ (vt fides Græci sermonis indicat) com-
 prehendantur: id est, *παρὰ τὰ συλλαβᾶν τὰ γράμμα-
 τα.* quarum tripartita species est, namq; aliæ earum
 breues, aliæ longæ, aliæ communes, appellantur;
 scilicet, quod nunc pro breuibus, nunc pro lon-
 gis, vt necessitas metri, aut producentis aut corri-
 pientis easdem, postulauerit, accipiantur. Positio
 autem consonantium litterarum breues syllabas,
 secundū disciplinam legemq; metricæ artis, efficit
 longas. Nam, parente natura, omnis vox sub duo-
 rum accentuum sono ore mortaliū promitur, pro-
 ducto scilicet aut correpto: ex quibus alter ex-
 tenditur, alter contrahitur. Igitur cum in metris
 longa syllaba opus esset, vt ea quæ breuis lege na-
 turæ prolata videbatur, longa efficeretur, à prin-
 cipibus Musicæ artis authoribus positio, id est,
 duarum consonantium copulatio reperta atq; in-
 ducta est. Hæc deinceps obseruatio consensione
 poëtarum legem dedit, quæ authoritas item de ve-
 tustate temporis trahens disciplinam veluti sa-
 crofanctæ in metris obseruationis cæteris sanxit.
 Igitur syllaba breuis tempus vnum, longa duo, ne-
 que amplius recipit, ex qua euenit plerumq; me-
 tri necessitate cogente, vt, pro syllaba longa, duæ
 breues; aut pro duabus breuibus, vna longa ponat-
 ur. Id quod in trimetris Anapestico, iambo, & cæ-

teris huiusmodi versibus datur cognoscere. neque enim hæc commutatio numero metrorum officit congruentibus sub vtraque lege temporum spacijs atque momentis. Positione vero octo modis, vt supra relatam est, fiunt, ex quibus sex videntur aperti: de septimo etiam nunc tractemus. Si correpta per se vocalis littera sequentem. i. habeat inter duas vocales constitutam, vt, Troiaq; nunc staret. Hic enim. o. litteræ vocali correptæ infertur. i. littera pro duabus consonantibus accipiēda, quam & geminata. i. scribere iubeamus, vt, Projecit fluuio, penitusque in nubila fugit. Alij oi diphthongon volunt esse, vt sit pes dactylus, prima syllaba natura longa Tro. sequētib; duabus breuib; .i. a. æque hoc. u. litteram facere, nequiuit, eodem quotiens fuerit loco. nam ita ponuntur hæ duæ litteræ in syllabis, vt exigente ratione interdum sint vocales pro suapte natura, interdum consonantes, quia & prolatae, & subiectæ alijs vocalibus coeunt, & syllabam reddunt. quod reliquæ facere non possunt, vt eadem & consonantes sint & vocales. Nam cum & inter se geminatur, & cum alijs iunguntur, prima earum, quæ in syllaba fuerit, euidenti ratione consonans erit, quippe cum vocis sonus in subiecta tantum vocali audiatur, vt iaculum, Iuno, vota, vultus, & his similia. Octauo, si correpta vocalis definit in consonantem, qua pars orationis finiatur, & sequens syllaba à vocali incipiat, vt, hoc erat: &, hic ait.

Nunc de communibus plenissime tractemus,
vnde

vnde sumus digressi: quarum in metris triplex ratio & causa reperitur, si quidem vna eademq; syllaba, nunc longa, nunc breuis, nunc vtriusq; temporis lege fungitur. Sciscitantibus autem, cur tres modi communium syllabarum sint; dicemus, longam syllabam aut natura fieri aut positione. Hæc sub vtraq; specie communem in metris syllabam dabit, id est, aut natura cum vltima pedis dactyli longa reperitur: vt, Insulæ Ionio in magno, &c. aut positione, cum ingeruntur breui syllabæ duæ consonantes, quarum prior semper muta, sequens liquida est. Superest natura breuis, cuius vnus modus: id est cum correpta vocalis definit in consonantem, ea dumtaxat lege, vt sequens syllaba incipiat à vocali tanquam, Hic ait, & nostris, &c. ita efficiuntur modi, vt supradictum est, tres. Igitur prima species erit, quæ dactyli pedis tertiam breuem seu productam vocalem, seu duarum coniunctione, id est, diphthongo longam efficiens contra legem Hexametri heroi amphimacrum inducit, qui pro dactylo lege communium syllabarum accipietur, ita tamen, vt sequens à vocali pes inchoet. Cuius exemplum apud Homerum, ἀνδρά μοι ἐννεπε μῦθον: apud nostrum, Insulæ Ionio in magno, &c. Nam subtili coniunctione longæ quæ sunt huiusmodi vtriusq; vocalis nomen incurrunt, & in collisione spacium temporis ipsa pronuntiandi celeritate consumitur: quanquam nonnulli quasi finalem syllabam propter indifferentiam quæ in metris omnibus competit, tradant, super quo plerique ambigunt,

In isto dumtaxat syllabarum communium priuilegio. Harum altera est, cum eiusdem pedis secunda syllaba, natura semper breuis: utpote, sequenti loco in dactylo pede coniunctis duabus consonantibus; quarum prior muta, sequens liquida sit, longam efficit positione: ut est, Vidit thuricremis. in. r. & Ni palmas ponto tendens utraq; Cloanthus. in. l. item. Brontesq; Steropesq; & nudus membra Pyracmō, in. m. Item nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos, in. n. Habes exēpla quatuor liquidarum, quas ametabolas diximus, nam breuis syllaba est loco posita positione longa vim suæ proceritatis loci conditione non obtinens. Ergo hic pro breui accipietur lege communium qua prior muta. c. sequens liquida sit. r. ita tamen, ut utræque consonantes in vna syllaba coniunctæ habeantur: nam si altera earum in secunda syllaba sequens in tertia reperiatur, non iam communem, sed longam syllabam in se efficiunt. Sed & duæ liquidæ m. & n. quæ solæ ex his quæ sibi subiunguntur, non præcedente muta, in vna syllaba, longam syllabam facere possunt, ut, omnibus errantem terris. Et, aut Agamemnonijs scænis. Tertia vero cum eodem dactylo prima syllaba, quæ semper natura est breuis, longa inuenitur. Hoc modo, si correpta in ea vocalis desinat in vnam consonantem, ut, Hoc erat alma parens. Erit ergo communis syllaba ea conditione, qua pars orationis finiatur, & sequens à vocali incipiat, ne loco & sede dactyli Tribrachus positus esse videatur. Neque enim

hic

hic finalem syllabam caussatus sis, nam nulla ibi proceritas sonat, vbi vere finalis non est: velut, arma virumque cano, &c. Cum enim, ma, syllaba partem orationis compleat, tamē, quod loco longæ posita non est, vim proceritatis capere non potest. Cum autem locum obtinet longæ syllabæ, & finit partem orationis, tunc est communis & efficitur longa, quod etiam naturali ratione dinoscas. Nam cum sermo terminatur, & postrema clauditur syllaba, ad initium alterius transitum fieri manifestum est, quod interuallum aliquanti temporis intercapedinem sumit, sic syllabæ naturalis breuitas additamēto temporis crescit. Hæc ratio communium syllabarum cum in Dactylicis, tum in cæteris metrorum generibus, sub eadem obseruatione tractanda est, qua tamen frequentius authores Græci quàm nostri vsi sunt: non enim vitium est, quippe cum maximi authores hoc genus compositionis vltro affectarint, apud Homerum notabilis ille versus habetur, in quo quatuor longæ syllabæ lege communium pro breuibus inductæ accipiuntur: cuius exemplum, ἔτι μοι αἰτίν ἔσσι, θεοὶ νόμοι αἰτίοι εἰσίν. Alia rursus apud eundem specie superiori contraria, in qua breues pro longis lege communium recipiuntur, ut est, ἀμφὶ δ' ἄρ' ἀμβροσίον ἑανὸν ἔσασθ' ὄν οἱ ἀθήνη. Nam tres continui dactyli æternis syllabis breuibus subsistunt, cuius generis apud eundem complures versus reperiuntur.

Dignum forsitan inquisitione sit, cur muta liquida sociata communem syllabam reddat, duæ

autem semiuocales aut mutæ copulatæ similiter inter se nequaquam id faciant, non immerito: Nā cum maior in liquida, quam in muta virtus sit utpote metabola, quæ à tenore suo non immutetur, at tamen infirmiora paria sociata præstantur his quæ ex impari veniunt, quod sub exemplo aperiā. Sicut enim minime par ad nitēdum virtus est a simulo coniuncti, cum alter alterum propter inæqualitatem naturæ non respondentibus viribus, dum iungitur, debilitat potius quam iuuat, ita hoc & his literis, quæ ex impari copulatione veniunt, intelligendum est, ut iugatæ instabiles semper & lubricæ sint, quia non pari aut æquali virtute nituntur. Hæc tamen, ut supra diximus, sub vno enuntiatu coniunctæ communem syllabam, diuisæ autem longam efficient. Mutæ vero & semiuocales ut libet appositæ correptæ vocali semper longam syllabam reddunt. Illud etiam, admonente occasione, intimandum est, litteras quasdam contra rationem naturæ, metri necessitate, nūc produci, ut, Italiam fato profugus, &c. nunc corripī, ut, feruere Leucaten. cum quidam in hoc primam verbi positionem non à ferueo, sed à feruo tractam contendant, meritoq; corripīāt. Eadem metri lege etiam consonantes geminantur, ut, Reliquias Danaū, &c. Et, rettulit Argolico fulgentia poma Tyranno. Et, redduxere retro lōge capita ardua ab ictu. Siquidem artis Poëticæ in eo vim rationemque subsistere manifestū fit, ut verba seu nomina metro repugnantia, vel corripiat, vel acuat, interdum

minuat,

minuat, ut, Apparent rari nantes in gurgite vasto. Aut forte diuidat, ut, septem subiecta Trioni. vnde species innumerabilium figurarum repertæ sunt. & Græci maxime schematibus his vtuntur, quibus maior ac speciosior licentia est corrumpendi sermonis.

DE MENSURA LONGARVM & breuium Syllabarum.

INter Metricos & Musicos, propter spacia temporum quæ syllabis comprehenduntur, non parua dissensio est. nam Musici non omnes inter se longas aut breues pari mensura consistere, siquidem & breui breuiorem, & longa longiorem dicant posse syllabam fieri: Metrici autem, prout cuiusque syllabæ longitudo ac breuitas fuerit, ita temporum spacia definiri, neque breui breuiorem, aut longa longiorem, quàm natura in syllabarum enuntiatione protulit, posse aliquam reperiri. Ad hæc, Musici, qui temporum arbitrio syllabas committunt in Rhythmicis modulationibus, aut Lyricis cantionibus, per circuitum longius extentæ pronuntiationis tam longis longiores, quàm rursus per correptionem breuiores breuius proferunt. Afferunt etiam exempla, quæ in Metricis pedibus secum faciunt, asserentes accessione consonantium momenta temporum crescere: tanquam Thersandrus, constat duabus positione longis, & breui vltima, qui fit pes Palimbalchius. Huius primam positione longam correpta,

e. littera esse manifestum est, quam si produxeris, ut interdū etiam Metrici faciunt, ut pro. e. n. Græca littera audiatur, quæ semper natura longa est, fit, ut etiam accedentibus duabus consonantibus, longior prolixiorque videatur. Quippe cum trium temporum spacio aucta sit, quæ duum fuerat, cum esset per. e. correptam nomen elatum. Item ἀμφισπόμενος, ἡμφισπόμενος. Quod in metro apud Græcos frequenter inuenimus, habet enim & de natura & de positione longioris syllabæ incrementum. Breuem autem breui longiorem sic intelligi volūt ut in eodem nomine, Theopandrus: DRVS enim syllaba quum vnā vocalem natura breuem habeat, tres tamen aliæ consonantes cum eadem elatæ non parum temporis in mora pronuntiationis occupabunt. Erit ergo hæc breuis ab ea longior, in qua sola. u. quam cum alijs enuntiata litteris drus: auctiorem enim vberioremq̃ue auribus sensum reddit. Sed hæc scrupulositas Musicis & Rythmicis relinquatur. nam quia ad nos attinet, notemus plerasque syllabas ratione pares esse, spatio autem seu sono impares, ut dicimus omnes Germanos longos esse, quamuis non sint omnes eiusdem staturæ: sic dicemus etiam has syllabas in genere esse non in spatio longarum seu breuium syllabarum. Igitur cum metris nihil maius minusve afferat huiusmodi ratio, nec præfiniti sibi temporis modum adiectio consonantis excedat, Musicis potius quàm Metricis id auscultandum esse dicemus.

DE

DE ARSI ET THESI.

DEcurfis syllabarum modis (quæ per vocales & consonantes litteras velut quibusdam elementis coalitæ connexæque formantur, certisque secundum aut naturam aut positionem legibus positæ, pedes, cum inter se geminantur, per Arsin & Thesin gradientes procreant, quibus metrorum omnis ratio inter se præfinita subsistat) consequens reor prius de Arsi ac Thesi, id est, de altera syllabarum sublato ac positione, quibus pedes in metris nituntur atque formantur, dicere: ac deinceps pedum rationem paucis exponere. Arsis igitur ac Thesis, quas Græci dicunt, id est sublato & positio, significant pedis motum. est enim Arsis sublato pedis sine sono: Thesis positio pedis cum sono. Item, Arsis est elatio temporis, soni, vocis: Thesis, depositio & quædam contractio syllabarum. Nam in Pyrrichio tollitur altera breuis, altera ponitur: in Spondeo quoque vicissim longa tollitur ac ponitur syllaba. Trochæo autem & Iambo contraria inter se ratio est. Alterius enim prius longa tollitur, dehinc breuis ponitur: alterius secundum suam legem sicut supra dicti ordinis immutatur. In Dactylo vero tollitur vna longa, ponuntur duæ breues. In Anapæsto contra, sicut in Trochæo & Iambo ostendimus. Et ita in simplicibus pedibus Arsis ac Thesis, aut simplici, aut duplici, aut sesquipli ratione taxatur: & in simplo quidem erunt Pyrrichius, Spondeus,

D

Dactylus, Anapæstus. Horum enim par est sublationi positio, cum tantundem moræ in duarum brevium positione, quantum in vnius longæ sublatione habeatur. In duplo autem, Iambus, Trochæus, Tribrachus, Molossus. Horum enim duplex sublatio, simplex positio est: et contra. Nam modo sublatio dimidio plus habet, modo positio. At in sesquiplo pedes quatuor Bachius, Palimbachus, Amphibrachus, Creticus. Et in Cretico nunc Sublatio longam & breuem occupat, Positio longam: vel contra, Positio longam & breuem, Sublatio vnam longam, prout syllaba se obtulerit, id fiet. In Bachijs etiam hæc diuisio est. Nam Bachius à breui incipiens in sublatione semper breuem & longam retinet, in positione longam. Palimbachus autem, in sublatione longam & breuem, ne in quadruplum ratio temporum protendatur, si duæ longæ aduersus vnam breuem copulentur, qua ratione sesquipli & Pæones continebuntur. Molossi ratio æque duplex. nam idem valent duo contra quatuor, sicut quatuor aduersum duo, vt modo sublatio vnam longam habeat, positio duas: nunc positio vnam, sublatio duas longas. Amphibrachus, in quo duæ breues, media longa est, in Arsi tria, in Thesi vnum tempus accipiet: rursusq; Arsis vnum, Thesis tria sibi met vindicabit, non dupli seu sesquipli, vt in reliquis, ratione diducta, quippe cum tribus temporibus vnum, & contra vnum tribus insequentibus repugnare videantur, vnde minus aptus pes in metris, Musicis autem

con-

consentaneus æstimatur. nam licet minor temporum spacio sit, respondet tamen imagini Hippiorum, quos Epitritos vocamus, qui sunt Heptachroni, id est, è prima breui & tribus longis: neq; enim syllabarum numero sed ratione temporum Arsis Thesisque pensatur.

DE RYTHMO.

EXigit locus, & temporum inter se vicina cognatio, vt, priusquam pedum disputationem aggrediar, de Rythmi conditione pauca dicam: cuius origo de Arsi & Thesi manare dinoscitur. Nam Rythmus est pedum temporumque iunctura velox, diuisa in Arsi & Thesi: vel, tempus quo syllabas metimur, Latine numerus dicitur, vt Vergilius, Numeros memini si verba tenerem. Differt autem Rythmus à metro, quod metrum in verbis, Rythmus in modulatione ac motu corporis fit. et, quod metrum pedum fit quædam compositio, Rythmus autem temporum inter se ordo quidam: & quod metrum certo numero syllabarum vel pedum finitum fit, Rythmus autem nunquam numero circumscribatur: nam vt volet, protrahit tempora, ita vt breue tempus plerumque longum efficiat, longum contrahat. Vnde & Rythmus, id est, à ῥυθμῶν & fluore quodam nuncupatur. Rythmorū autem tres esse differentias volunt, in Dactylo, Iambo, & Pæone, quæ fiūt per Arsin & Thesin. Nam Dactylus æqua temporū diuisione taxatur, vt & Anapæstus, vterque enim

D 2

pes quatuor temporum est . Nam vt longa prima Dactyli duabus breuibus insequētibz par sibi , & æqualis est , idem & in Anapæsto fit , vt initium fini simile inueniatur , & dicunt in Arsi & Thesi æqualem rationem ἴσον λόγον . Idem etiam in Dipodia facta coniugatione binum pedum per Choriambum & Antispastum , quia quantum in sublatione habet , tantumdem in positione , & idem apud Græcos æqualis , id est , ἰσόρρυθμος dicitur . Secundus autem Rythmus in Iambo duplici ratione sublitit , qua Trochaica & vtraque Ionica monosemos . Vnius enim temporis Arsis ad disemon Thesin comparatur . Etenim Iambus à breui syllaba incipit , quæ est vnius temporis , & in longam desinit , quæ est temporum duorum : Trochæus autem contra . Eadem & in Ionicis metris duplici ratione versatur . Nam Ionicus ἀπὸ μείζονος , incipit à duabus longis & in duas desinit breues : Ionicus autem ἀπὸ ἐλάσσονος , à breuibus incipiens in longas desinit . Erit itaque inter hos disemos ad tetrasemon Arsis ad Thesin : Quia vnā partem in sublatione habet , duas in positione , seu contra . Ergo Iambica & Trochaica metra , quæ in duplici ratione sunt posita , facta coniugatione binum pedum ad legem quadrupli vocabuntur . Tertius autem Rythmus , qui Pæonicus à Musicis dicitur , hemiolia subsistit , quæ est sesquipli ratio . Hemiolium dicunt numerum , qui tantumdem habeat , quantum alius & dimidium amplius , vt si compares tres & duo . nam in tribus , & duo & eorum dimidium continetur , quod

quod cum euenit Trisemos Arsis ad Disemon thesin accipitur : id est , tres partes in sublatione habet , duas in positione , seu contra : quam rationem maxime incurrunt Pæonici versus & Bachij , ita nobis metra gradientibus , vt Pæonicus seruetur Rythmus . Hæ sunt tres partitiones , quæ continuam ἰσορρυθμίαν faciūt . Aristoxenus autem ait non omnimodo inter se composita tempora Rythmum facere . nam coitus temporum communis est Rythmo & Arrhythmia . vnde si apte congruant spacia , Rythmum faciunt : si contra , Arrhythmiam : vt intelligamus & in ipsa concursione temporum non fortuitam sed certam esse disciplinam .

DE PEDIBVS.

PES est certus modus syllabarum , quo cognoscimus totius metri speciem , compositus in sublatione & positione : fiunt enim ex syllabis pedes ordine incrementorum , quem Græci Syllabicen parauxesin vocant : item temporum , quam Græci chronicen parauxesin nominant , syllabarum autem incrementa fiunt quinque , incipientia à dissyllabis vsque ad hexasyllabum . Temporum vero incrementa à duobus ad duodecim procedunt , id est , à disemo ad duodecasemum . Et enim cognationis & cuiusdam ad augmentum propagationis , qua pedes multiplicati noscuntur orti à dissyllabis quatuor , ratio talis est . Syllaba , quæ ad incrementum pedum adijcitur , aut longa est , aut breuis . huius adiectione ita numerus pro-

pagabitur. Sic Pyrrichius è duabus breuibus, hunc breuis Tribrachum, longa Dactylum aut Anapaestum facit. Sic Spondeus è duabus longis, hunc breuis Palimbachium seu Bachium, in prima sede posita longa Molosium reddit. Quo genere trisyllabi & tetrasyllabi vsque ad hexasyllabos, additamento temporum processerunt, vt dictum est à disemo ad duodecesimum, seu à dichrono ad duodecachronum. *σημείον* autem, veteres *χρόνον*, id est, tempus non absurde dixerunt, ex eo, quod signa quaedam accentuum, quæ Græci *περοσώδια* vocant, syllabis ad declaranda temporum spacia superponuntur, vnde tempora signa Græci dixerant. Sed & hoc, loco suggerente, non prætermiserim, eosdem figuras pedum secundum spacia temporum per litteras ita designasse, vt breuis syllabę loco quæ sit vnius temporis, ponatur. B: longæ autem loco, quæ sit temporum diuum. M: hoc ideo, vt per litteras regula pedum facile intelligatur. Pes autem dictus est, siue quaedam pars mensuræ & modus quidam. Similiter pes vocatur, siue quia in percussione metrica, pedis pulsus ponitur, tolliturque: seu quia, vt nos pedibus ingredimur, atque progredimur, ita & versus per hos pedes metricos procedit, & scandit. Inter pedem autem & Rythmum hoc interest, quod pes sine Rythmo esse non potest, Rythmus autem sine pede decurrit, non enim gradiuntur Mele pedum mentionibus, sed Rythmis fiunt. Pedes igitur

tur simplices sunt duodecim, qui procedunt ac crescuntque à duabus syllabis ad tres: Item duobus temporibus ad sex, ex quibus dissyllabis, quod quatuor temporum existunt. Quorum princeps & author Pyrrichius, qui & Pariatibus & Dibrachus appellatur. sed Pariatibus ideo, quod minus habeat vnum tempus ab Iambo: *παρα* enim Græci minus dicunt, subsistens è duabus breuibus: Vt, dea, temporum diuum: ita enim ratio exposcit, vt à breui origo temporum cœperit, quippe cum eiusdem geminatio longum fecerit tempus, haud aliter quàm in numeris: etenim ex vno multiplicato, veluti primordio ac femine, reliqui gignuntur. Nec immerito à Græcis hic pes, vt author & parens reliquorum, *ἡγεμὼν* dicitur. Pyrrichius autem à celeri motu ac recurſu qui in Pyrricha habetur, nuncupatus est. Huic contrarius est Spondeus è duabus longis: vt, reges, temporum quatuor, dictus à tractu cantus eius qui per longas tibias in templis supplicanti- bus, æditur. (Vnde & Spondulæ appellantur, qui huiusmodi tibias inflare assueuerunt) quorum vterque quantum in Arsi, tantum retinet in Thesi. At qui è breui prima, sequente syllaba longa digeritur, erit Iambus, temporum trium, vt, parens, *ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν*, id est, maledicere, quod in Iambicis plerumque versibus reperimus, vel *ἀπὸ τοῦ ἰέναι βῆδην*: à breui enim profectus per longum porrigitur. Huic contrarius Trochæus, dictus à cursu & celeritate.

Nam τροχός ἀπὸ τοῦ τρέχειν vocabulum sumfit: idem & Chorius ἀπὸ τῆς χορείας sumfit, è longa & breui temporum totidem, vt Roma. Horum Arsis & Thesis alterna mutatione variatur. Siquidem in Iambo Arsis primam breuem, in Trochæo autem longam habeat: in Thesis vero contraria superioribus sumat. Trisyllabi autem pedes octo, in quibus mensura temporum à trisemo siue trichrono ad hexatemon siue hexachronon vsque porrigitur. Primum habebunt pedem Tribrachyn, sicut dissyllabi dibrachyn, dictum à temporum substantia. Idem & χορείος à quibusdam, ne vos prætereat, vocatur. Subsistit autem è tribus breuibus, vt, anima, temporum trium. Contrarium huic Molossus dictum à Molossis, qui in Thessalia degunt, è tribus longis, vt, Eumedes. hi temporum inter se breuitate & extentione discrepant. Nam prior trium, sequens sex temporum spacio prolatatur, quod in dissyllabis in Pyrrichio & Spondeo docuimus. At qui prima longa duabus breuibus subiectis ordinatur, Dactylus dicitur, temporum quatuor, vt, Virbius: qui & à situ & similitudine digitorum, qui in manibus habentur, vocabulum traxit. nam ex vtraque parte breuiore longiori iunguntur. Huic cōtrarius mutata temporum vice, pari autem magnitudine, erit Anapæstus, qui & Antidactylus vocatur, vt, scopulos. Horum in Arsi & Thesis tempus congruit, etiamsi in percussione discrepent syllabæ. Anapæstus autem à situ contrario & percussione Dactyli, quod

est

est ἀντιπαίσθηται, dictus: ideoque Antidactylus nuncupatur. Cum vero longis duabus præponitur breuis, fit Bachius, temporum quinque, vt Cætones: quia à Bachi carminibus seu cantilenis, quæ aptissime hoc metro componuntur, nomen accepit: vel quia familiariter hic Rythmus Bachantibus aptus sit. cui, mutato temporum ordine, mensura autem permanente, Palimbachus contrarius dabitur, siue Pompicus, temporum totidem, vt Romanus. Horum Arsis & Thesis eadem est, quæ Anapæsto & Dactylo. Superest Amphibrachus contrario sibi Amphimacro, siue Cretico. Prior pes è breui, longa, & breui, temporum quatuor erit, vt, Homerus: sequens duabus vtrinque longis media breui temporum quinque scribitur, quæ Græci κρητικὸς vocāt, vt, Eumenes. Vterque autem à compositione temporum vocabulum traxit. Horum Arsis ac Thesis longe inter se discrepant. Nam Amphibrachus in triplo, Creticus, cui de gēte inuentoris nomen est, in sesquiplo pensatur. De qua re in superioribus plenissime dictum est. hoc pede ἐπορχήματα constabant. Inter hæc ne quispiam nos aut ignoratione aut incuria præterijisse forsitan putet, quod per diuisionem & coniunctionem inter se temporum & dissyllabi pedes in metris extendantur. trisyllabi vel tetrasyllabi contrahantur, quod supra cūrsim at tigi, repetendum hoc nobis existimaui. Nam Trochæi seu Iambi longa in duas breues diuisa Tribrachum pedem efficiēt. Adæque in Spondeo, soluta in breues prior longa

D s

Anapæstum, sequēs Dactylum procreabit. Vtraq; autem diuisa tetrasyllabū ē quatuor breuibus, id est, Proceleusmaticum pedem dabunt, qui rursus contra, consociatis inter se breuibus ad originem reuertetur, id est Spondeum reformabit. quod æque Dactylus & Anapæstus breuibus suis in longam copulatis, efficiunt Molossium. Eum quoque trium tetrasyllaborum parentem pedum, promptum est cernere. Nam diuisa prima eius longa Ionicum ἀπὸ ἐλάσσονος: tertia Ionicum ἀπὸ μείζονος: media Choriambum gignit. Hoc idem & pedes cæteri, quos superuacuum est persequi, facere poterunt. Vnde orta progenies pedum, ausim dicere, merito credatur. Nec te syllabarum accrescentium in metris terreat numerus: cum vnicuique pedum præstituta legitime tempora custodiantur, quod frequenter in Iambicis & Trocheis & cæteris metrorum generibus, excepto Heroico, reperies. Memineris sane trisyllabos pedes temporum dumtaxat quinque vel sex, vt est Bachius & Molossus, cum in quibusdam metris, sicut in Galliambico, longæ eorum soluuntur in breues, vim tetrasyllaborum obtinere. Idem hoc & tetrasyllabis per dissyllabos aut trisyllabos coniunctione temporum fieri. Nam Pæones primus & quartus, coeuntibus in vnam longam duabus suis breuibus, Amphimacrum vel Palimbachium gignunt. Id Græci κατὰ διαίρεσιν, & συναίρεσιν siue ἕνωσιν, cum metri necessitas postularit, fieri memorant, quod necessario insinuandum credidi,

ne

ne syllabarum numero inducti, aut simplices aut compositos pedes proprii status vim semper cum vocabulo obtinere catholice pronunciaretis. Nūc de dissyllabis coniunctis, qui & duplices & tetrasyllabi pedes appellantur: quos etiam quidam Sotadios vocant, referemus. quorum coniunctio Basis appellatur. Nam Græco sermone duorum pedum copulatio Basis dicitur, veluti quidā gressus pedum, qui, si eiusdem generis, id est, pares iugati fuerint, dipodiam, aut vt quidam, tautopodiam: sin dispaes, vt, Trocheus cum Iambo, syzygian efficiunt: in qua Arsis vnum, alterum Thesis pedem obtinebit. quamquam in his nonnunquam syllaba pro integro pede, in vltima dumtaxat versus parte accepta propriam impleat Thesis. Igitur tetrasyllabi pedes erunt omnes sedecim. Vt geminato numero ea taxatione trisyllabos qua illi dissyllabos, antecedant. In quibus spatia temporum à tetrachrono ad octachronum, id est, à quatuor temporibus ad octo producantur: quorum origo Proceleusmaticus ē quatuor breuibus subsistens, vt, Minutius, habebit contrarium Dispondeum ē quatuor longis, scilicet vt compositum à Spondeo nomen ostendit, qui solus in tetrasyllabis octachronos, siue octasemos, inuenitur: cuius exemplum, Calliclides, haud alias quam Spondeus inter dissyllabos tetrachronos est. Sequetur Antispæstus, cuius prima & vltima breuis, mediæ duæ longæ, id est, Iambo & Trocheo compositus, vt, Aristippus. Huic contrarius

est Choriambus ex longa, & duabus medijs breuibus, & longa, scilicet ex Trochæo & Iambo copulatus, vt, Penelope. Quorum mensura mutato tantum inter se temporum ordine apud eos congruit. At cum prior breuis subiecta longa, rursus breuis longa terminante componitur, erit Diiambus pes, id est, è duobus Iambis annexus, vt, Simonides. Rursus cum præcedentem longam sequitur breuis, geminatum hoc, facit Ditrochæum, vt, Zenodorus. consimilis fermè his & illa Ionicorum ordinatio est. nam præeuntibus duabus longis subiectæ duæ breues, veluti Spondeo Pyrrichius annexus, Ionicum ἀπὸ μέζονος procreabunt, vt, Demetrius. Rursus mutato temporum situ, cum breues in prima sede, secunda autem longæ constituuntur, id est, Pyrrichio Spondeus iugatus Ionicum ἀπὸ ἐλάσσονος gignit, vt, Diomedes. Sequuntur Pæonici pedes, numero quatuor, qui sunt pentasemi, sesquipleni enim ratione consistunt: ideoque metris minime inutiles æstimantur. sed Epitriti dicti ob adiectionem tertiæ partis, quàm sunt Pæones, meritoque à Græcis ita dicti ἐπιτριτοι: nam sunt heptasemi, vnde tetrasyllabis, qui sunt numero decem & sex, quatuor tantum asseruntur, id est, Choriambus & Antispastus æqualitatis ratione constantes, sed & Ionici duo, cæteris decem non adeò necessarijs: nam Ditrochæum & Diiambum inter disyllabos magis aptos haberi volunt. Igitur Pæon primus erit, cui prima
longa

longa, tres continue breues adhærent, ex Trochæo & Pyrrichio copulatus, vt, Cæcilius. Secundus Pæon præcedente breui, sequente longa, cui subijciuntur duæ breues ex Iambo & Pyrrichio formabitur, vt, Canephorus. Tertius è duabus breuibus, longa tertia, quarta breui syllaba compositus, ex Pyrrichio & Trochæo, vt, Epicurus. Quartum autem quarta lōga, tribus breuibus syllabis in prima regione positis, ex Pyrrichio & Iambo connexum accipiemus, vt, Diogenes. Superfunt Epitriti qui & Hippij, adæque numero quatuor, quodque est veluti genus Pæonicorum, præsertim cum sine spacio temporū dispares forma cōsimiles sunt: etenim heptasemi, id est temporum vii. quorum primus priore syllaba breui, sequentibus longis tribus, ex Iambo & Spondeo cōstabit, vt, Aristocles. secūdus è longa & breui, subiunctis ei duabus longis, erit ex Trochæo & Spondeo copulatus, vt, Archimedes. Tertius, in quo primæ duæ longæ, tertia breuis, lōga vltima, ex Spondeo & Iambo concretus videbitur, vt, Demosthenes. Restat complendo tetrasyllaborum pedū numero Epitritus quartus, quem primæ tres longæ, quarta in vltimo breuis ex Spondeo & Trochæo connexum esse demonstrant, vt, Irenæus. Hac inspectione conijcere poteris, quemadmodum ex disyllabis & trisyllabis pentasyllabi, sed & geminatis trisyllabis hexasyllabi pedes formati videantur, quorū syllabatim per tempora species cōprehendi poterūt. nam etiam si proprijs nominibus,

vt alij pedes, minime exprimuntur, tamen situ syllabarum & substātia temporum manifesti sunt: qui rursus soluti, exigente vsu, ad proprium statum conditionemque reuocabuntur. igitur cognatio, & quædam ad incrementum propagatio, qua pedes à primordio multiplicati noscuntur, talis est, nam ex primigenijs duobus Pyrrichio & Spondeo acquisitis, facta temporum permixtione, Iambo & Trochæo quatuor dissyllabi pedes effecti sunt. Quorum status adiectione syllabarum simul ac temporum propagatus, in trisyllabos pedes octo processit, qui, pari ratione accrescentes tetrasyllabos ex se geminato trisyllaborum numero, xv i. ædiderunt. Rursus. x i i i. tetrasyllabi simili, vt superiores, geminatione, triginta & duo ex se schemata, id est figurationes pedum pentasyllaborum reddiderunt. Hi quoq; dum per syllabas, vt priores, augentur ac tempora, hexasyllabos pedes pari ratione in schematibus sexaginta & quatuor simili duplicatione protulerunt: ita vt summa omnium ad centum viginti & quatuor pedes redacta sit. ita vt simplices numero duodecim, compositi centum & duodecim habeantur. Hi autem eiusdem inter se mensuræ sunt, aut sesquiplo antecunt aut duplo. Ex quibus magis Mele & Rythmi Lyricorum modulorum, quam metra formari poterunt. Incipiunt autem & porriguntur tempora in pentasyllabis à quinque vsque ad decem, id est, à pentasemo ad decasemum χρονική παραυξήσει, vt sit pentasemus, Philopolemus, è quinque breuibus.

uibus. a. a. a. a. a. Decasemus autem è quinque longis, vt, Atroxiclides, cuius canon per quinque. b. b. b. b. b. signabitur. Item hexasyllabi ab hexasemo ad dyodecasemum, χρονική παραυξήσει, vt, Menelaophorus, è sex breuibus, huius canon. a. a. a. a. a. a. qui est duplex tribrachus. Alter è sex longis, quibus tempora duodecim subsistunt, vt, Callistochermedes, qui est duplex Molossus, & hoc canone signabitur. b. b. b. b. b. b. vt sit dyodecasemus. Non parua autem in pentasyllabis copulandis quæstio est, qua colliguntur differentiæ figurarum, namque interest, mediam syllabam cui parti velis annectere. Aliud est enim si duabus præcedentibus sociata faciat coniunctionem ex trisyllabo & dissyllabo, cōtrarium autem si à duabus præcedentibus diuisa postremis duabus subsequētib; copuletur, vt sit cōiugatio è dissyllabo, qui fit vt multiplices harum figurarū numerus per differentias oriatur. Erit igitur in exemplo hic versus,

Armiger in Ida pede vago littora petens.

Nam si vt Trochaicum scandas, erunt omnes coniugationes è Trochæo & Anapæsto: si contra vt à trisyllabo incipias, erunt omnes coniugationes ex Dactylo & Iambo, & efficietur Iambicus versus: iuxta quæ intelligi datur varia diuisione cōiugationū, naturam versuum, vel à Trochaico in Iambicū vel à Iambico in Trochaicum posse transduci. Hoc igitur de cūctis triginta duobus pentasyllabis pedibus accipiendū est: quæ quidē variatio nō in alijs quam in pentasyllabis coniugationibus

euenire consuevit, caussa mediæ syllabę, quæ mouetur, cum aut præcedentibus aut subsequen-
tibus syllabis copulatur.

DE METRIS.

METRYM est compositio pedum ad certum finem deducta, seu dictionum quantitas & qualitas pedibus terminata, vel Rythmus modis finitus. Prima autem metra sunt, syllaba breuis, syllaba longa: ex his enim metimur ipsos pedes, ac rursum ex pedibus, metra; & deinceps de metris carmina. Initium autem metri, coniugatio syllabarum, ex quibus colligitur totius qualitas metri: iudicium vero in auribus & auditu est. Species igitur metrorum sunt quatuor, Epica, Melica, Comica, Tragica.

Epos est proprie Heroicum metrum, quod diuinarum humanarumque rerum, & vel maxime heroum facta versu hexametro comprehenduntur, quod Græca significatione dictum putant ἀπὸ τῆς ἑξῆς μέρη τῶν πρώτων, id quod primas partes eius cæteræ insequantur. Hoc metro Homerus virtutes heroum est prosequutus, sicut Horatius refert dicens,

Res gestæ regumque; ducumque; & tristia bella.

Quo scribi possent, numero monstrauit Homerus. Idem & Pythium, quod interfecto Pythio dracone compositum esse dicatur. Cum Delphorum incolæ laudem Apollinis ita prosequerentur ἦ παιῶν, ἦ παιῶν, ἦ παιῶν, quod constat ex spondeis
fex.

sex. Idem erit & Iambicum trimetrum, si. littera, quæ dichrona est, corripias. In his enim Iambico & Dactylo metrorum omnium fundamenta subsistunt. Hoc quidam à Lino Apollinis Antistite, alij ab Orpheo, nonnulli ab Homero inuentum putant. Melicum autem sic vt Lyricum, quod ad modulationem lyræ citharæve componitur, sicut fecit Alcæus & Sapho, quos plurimum est sequutus Horatius. Carmen autem Lyricum, quum metro subsistat, potest tamen videri extra legem metri esse, quia libero scribentis arbitrio per Rythmos exigitur. Tragicum autem, quod trimetro magis versu componitur, quo vsi sunt Sophocles & Euripides. Comicum vero varia versuum & modulorum lege compositum reperitur, sicut plerumque apud Menandrum, sed & alios, cognoscimus. Metrorum genera alia à Disappellata, vt Dithyrambicon, Priapion: alia ab inuentoribus, vt Archilochium, Sotadium: alia ab his qui crebrius vsurparunt, vt Saphicum, Asclepiadicum: alia à qualitate pedum, vt Iambicum, Dactylicum, Anapæsticum, Tetrametrum, Hexametrum: alia à numero syllabarum, vt, Heptasyllabon, Hendecasyllabon. Metrum autem bifariam accipiemus: nam aut Poeticum metrum est, aut Bioticum.

Bioticum metrum est, quod in vsu vitæ & humana conuersatione taxatur: quod ipsum accipietur modis quatuor. Primo per spacium longitudinis, vt metrum cubitale, pedale, palmale. Secundo

per ponderum examen, ut in libra, uncia, scrupulo. Tertio per qualitatem acervalem, ut in modio, sextario, hemina. Quarto per qualitatem humidam & fluxam, ut in cyatho, congio.

Poëticum vero Metrum, quod à poëtis per syllabas pedum & versus figuratur, & ipsum intelligitur modis quatuor. Per tempora, ut, syllaba longa, brevis, cum dicitur. Per numeros, quia certa syllabarum dinumeratione metrum finitur. Per qualitatem pedum, quia certis pedibus versus quique procedunt. Unde Iambica Trochaica & Dactylica metra dicuntur per numerum pedum, quia versus pro mensura sua quisque trimeter, & tetrameter, & hexameter intelligitur. Hexametrum poëtæ, quod sex pedibus ingreditur, quos metra eodem modo Græci nominant, appellarunt. Sicut, & illa quibus metimur, cum & trimodia sit certa mensura, & modius, & hemina: nihilominus & cyathus exigua mensuræ portio, pari que ratione decempeda, & pes, & digitus. Sic & totus versus metrum, & singuli pedes quibus eum metimur, metra nominantur. Itaque quia sunt verba rebus pauciora, nam propter infinitam rerum multitudinem, cui nequaquam omnibus vocabula propria inuenirentur, quæ ratio loquendi flagitabat, translaticie à quacunque re simili ac proxima, pleraque appellari cœperunt, ut in montibus vertices, in vitibus flagella, in exercitu acies, alæ, & cornua: in furculis gemmæ, & cætera per metaphoram translata. Quidam autem non pedem

dem metrum esse volunt, sed syllabam, quod hac ipsum quoque pedem metiamur, & quod finita esse mensura debeat: pedes autem in versu varientur. Alij rursus nec pedem nec syllabam metrum putant esse dicendum, sed tempus, quia omne metrum in eo quo metimur numero finitum est, ut, Decempeda non enim modo decem habet, modo undecim, modo duodecim pedes, sed semper decem, unde pedem metrum esse non posse, quia in versu modo vnus est Dactylus modo duo, seu Spō dei, interdum incurrunt Trochæi, aut Amphimacri, quorum diuersitate iuxta spacia temporum metrum, quod certam mensuram habere debeat, nequaquam finitum inueniri. Nobis superuacua videtur esse pugna vocis, cum de re conueniat, siquidem metrum & in syllaba & in tempore, & in pede constitutum ad vnam summam decurrat. Horum etenim omnium cognita potestate, superuacua est lis omnis. Nam cum temporibus syllabam metiamur, syllabis pedes, pedibus versus, connexum inter se ius omnium reperimus. quemadmodum cum pedale vel libra metitur aliquid, est in illis uncia, est semiuncia, est digitus, vel ab eo minus quippiam, per quas portiunculas ipsum pedem computamus & libram, simili modo metrum erit, & in tempore, & in syllaba & in pede, sed minimum metrum tempus, id est, brevis erit syllaba, maius quod ex duobus temporibus. e quibus & pes stabit. Nec minus pro metro frequenter colimus, cum aliquam odam compositam aut ex Strophe aut

Antistrophe, aut Epodo metimur per cola. Carmē vero ipsum versibus æstimamus. Metra autem omnia quatuor modis variantur, adiectione, detractioe, transmutatione, concinnatione. Ita fiunt innumerabiles species ortæ ex prototypis nouem, id est, Dactylico, Iambico, Trochaico, Anapæstico, Pæonico, Proceleusmatico, Ionico ἀπὸ μέζονος, Ionico ἀπὸ ἐλάσσονος, Choriambico: his adiungunt Antispastum loco Proceleusmatici, namque is Anapæstico pleiunq; subditus caret autoritate, nonnulli eum in specie decima recipiunt: quorum omnium exempla plura in versu sui cuiusq; metri breuiter vt ostendam, hæc erunt. & primum Dactylici siue Heroici metri, vt,

Arma, virumq; cano Troiæ qui primus ab oris.
Anapæstici, Tetrametri, Catalectici, vt,

Alius cithara sonituq; potens volucres pecudesq; mouere.

Iambici, Trimetri, Acatalecti, vt,

Beatus ille qui procul negotijs.

Trochaici, Trimetri, Catalectici, vt,

Roma Roma, cerne quanta sit Deū benignitas.

Ionici ἀπὸ μέζονος Tetrametri, Catalectici, vt,

Galli timidi semianimes tergora vertunt.

Ionici ἀπὸ ἐλάσσονος Tetrametri, Acatalecti, vt,

Miserarū est neq; amorī dare ludū neq; dulci.

Choriambici, Tetrametri, Acatalecti, vt,

Lydia, dic perdere cur hūc capias, quid retices.

Antispastici, Tetrametri Brachycatalectici, vt,

Libens hoc tibi persoluo, nihil me sic iuuat.

Pæonici

Pæonici Tetrametri Catalectici,

Sic Tyberis implacidus in maria labitur.

Proceleusmatici Tetrametri Catalectici, vt,


Nemus aue reticuit, ager homine filet.

Igitur ex his generalibus nouem metris, quæ prototypa & primiformia diximus, composita fiunt metra, cum inuicem sibi per hemistichia copulantur, quæ Græci σύνθετα, id est, coniuncta atque composita appellant. Cum hemistichio iambico iungitur hemistichion Trochaicum aut Anapæsticum, Ionicum, Dactylicum, seu quolibet alio, de quibus & cæteris in processu dicemus. Metra autem quædam singulis pedibus, quam Monopodiam, quædam binis, quam Dipodiam vocauerunt, scandi moris est. Hanc nos coniugationem appellamus, & per monopodiam quidem sola Dactylica, per dipodiam vero cætera. Igitur cum hexameter versus metrorum omnium finis ac summa sit, hi qui Epici non sunt, si per singulos pedes feriantur, excedant necesse est modum hexametri versus, vnde per dipodias feriuntur: vt etiamsi decem pedum fuerint, non decimetri appellentur, sed pentametri, quinque scilicet dipodij computatis.

DE COLIS METRORVM.

CONsideranda præterea in metris cola, quæ Latine membra, item comma, quod cælum à nobis proprie dicitur, id est extrema & exigua pars in metris. Mensura enim seu modus metro-

E 3



rum huiusmodi accipietur, nam extremum in his atq; vltimum quod Monometron dicitur, constat ex vno pede, maximum vero vsq; ad periodũ decametrum porrigetur, quorum differētia talis est. Colon est membrum quod finitis constat pedibus: Comma autem in quo vel pars pedis est.

Erūt itaq; Cola particulæ solutorũ metrorum, vt,
Arma virumq; cano.

Omnis autem versus, κατὰ τὸ πλεῖστον, in duo cola diuiditur. Abusue autem etiam comma dicitur colon. His quidam adiungunt Stichum, id est, versum, sub huiusmodi differentia, vt sit versus qui excedit Dimetrum, vnde & hemistichium dicitur, Colon autem & comma intra Dimetrum. Erit itaque colon cum integræ fuerint Syzygię: Comma vero, cum imperfectæ. Proprie autem Græci cola dicunt, quæcunque circa iuncturas aut artus porrecta sunt in longitudinem membra: vnde Euripides, ἢ κἄλλα κόλοις εὐστράπεν μιμήσομαι. Vnde dictum melos brachia scilicet & femina. Nec in metro apud quosdam hæc communiter mele appellantur, quæ nos carmina interpretamur & membra, quæ mele Græci diuisa membrorum vocant. Partes ergo versus, cum ex ea qua coniunctus erat parte dissoluitur, cola efficiunt. cum vero ea qua coniunctus erat parte absceditur, particula, quæ diuisa ex eo est, comma dicitur, vt in illis versus soluat, in his cædatur. nam Periodus, quæ Latina interpretatione circuitus vel ambitus vocatur, id est, compositio pedum

trium,

trium, vel quatuor, vel complurium similia atque absimilia, ad id rediens vnde exordium sumit, sicuti temporis lustrum, vel sacrorum triterici, vel in poëmatibus, quando non versus omni metri genere panguntur, sed ex varijs versibus carmen omne compositum per circuitum quendam ad ordinem suum decurrit, περίοδοι dicitur, omnis hexametri versus modum excedens, vnde ea quæ modum & mensuram habent, metra dicta sunt. Subsistit autem ex commate, colis & versibus.

DE VERSV.

Versus est, vt Varroni placet, verborum iunctura, quæ per articulos & commata ac Rythmos modulatur in pedes. Incipit autem à Dimetro, & procedit vsque ad hexametrum, in his dumtaxat versibus qui per singulos pedes dirimuntur. In illis autem qui per dipodiam vsq; ad tetrametrum vel pentametrum, nonnunquã hexametrum procedunt, quibus de diuisione ac scanione sua cuique nomen est, quos Latine taxatione simpliciũ Senarios, Trimetros: Octonarios vero Tetrametros vocauerunt, abusue vel hæc appellatio habebitur cum syncera & propria significatione Græcorum. Versus Herois hexameter Epos dicitur. Apud nos autem versus dictus est à versuris, id est, à repetita scriptura ea ex parte in quam desinit. Primis enim temporibus, sicut quidam asserunt, sic soliti erant scribere, vt cum

E. 4

à sinistra parte initium facere cœpissent, & duxissent ad dextram, sequentem versum à dextra parte inchoantes, ad sinistram perducerent: quem morem ferunt custodire adhuc in suis litteris Rusticos. Hoc autem genus scripturæ dicebant *Bustrophien* à boum versatione, vnde adhuc in arando, vbi definit sulcus & vnde alter inchoatur, versura proprio vocabulo nuncupatur. Omnis autem versus ab integra parte orationis incipit, & in integram definit, exceptis his, quæ in Comædijs ioculariter dicta, corrupta aut semiplena efferruntur, aut quæ raro apud Epicos metri necessitate diuiduntur: vt apud Vergilium, septem subiecta Trioni. Pari ratione in versu & Apocope præcepta est, id est, subtractio syllabæ syllabarumve, cuiuslibet orationis, metro cogente facta, quæ siue in verbo, siue in nomine acciderit, pro integra parte orationis accipietur, vt,

Endo sua do: id est, in sua domo. Item,

Ac famul infimus esset, pro famulo. Similiter,

Proras detondete & despoliare gubernas: id est, gubernacula: sicut metri necessitate diximus. versus autem distat à metro, quod in versu statim auditur & metrum, in metro autem nõ statim versus.

DE POETICA.

QVI versus facit *κατὰ τὸ ποιῆν* dictus est *ποιητὴς*, Latina lingua vates, quod verba modulatione connectat. Viere enim connectere est.

vnde

vnde vimen dictum virgulti species, & viti in rotis. Poëtica est ars ipsa, nam poësis & poëma distant: eo quod poëma tãtummodo clauditur carmine, vt Tragœdia vel Rhapsodia: Poësis autem ex pluribus, id est corpus operis confecti, vt *Ilias* *Homeri*, & *Aeneis* *Virgilij*. Poëmatum autem seu carminum species sunt tres: alia enim à Græcis *κατὰ εἶχον*, alia *συσηματικά*, alia *μετὰ εἶχον* dicuntur, quæ etiam à *μετάβολα* & *μεταβολικά*. Igitur *κατὰ εἶχον* sunt, quæ eodem metro constant, vt metrũ Epicũ *Homeri*, & *Maronis* no stri: vel quod ex trimetris ac tetrametris continuis subsistit, aut colis, aut commatibus eiusdem metri. Systematica autem quæ ex plurimis metris, neque ex vno versu aut eodem colore vel commate continentur, vt sunt *ἑποδοί*, & quæ apud Lyricos inuenimus, quæ *Syzygijs* gradiuntur. Mixta autem quæ partim sunt *κατὰ εἶχον*, partim ex trimetro & tetrametro mixta, quanquam non in vno versu semper versus expleatur, vt in *Elegia* vel *Epodis*. Nam neque per se versus hexameter sine sequente pentametro *Elegiacum* metrum implebit: neque in *Epodis* singuli versus sine clausulis suis & assequelis audiri poterũt *ἑποδοί*, quia similiter *κατὰ δίσειχον* fiunt, eadem fermè à *μετάβολα* & *μεταβολικά* erunt. Nam à *μετάβολα* dicta sunt, quod sui generis qualitatem, mensuramque semper obtineant, vt sunt *Homeri* carmina, & ea quæ *κατὰ εἶχον* appellari diximus. *Μεταβολικὴ* autem, quæ ab alijs metris ad alia genera transitum faciunt, qualia esse *Tragica* & *Comica* paulo ante

E 5

memoravi. Nam & Menander in Comœdijs frequenter à continuatis Iambicis versibus, ad Trochaicos transit, & rursus ad Iambicos redit. Hæc etiam in carminibus quæ mutuo annexa ita ex se pendunt, ut alterum sine altero audiri non possit, προδικὰ & ᾠδικὰ vocauerūt. i. ante cantatiua, & præcantatiua ut sit in hexametro προδικὸν ipsum Epos, & ᾠδικὸν versus pentameter, qui ei subiungitur in Elegijs. Item cantatiuum erit trimeter Iambicus, ut, Ibis Liburnis inter alta nauium. Erit dimeter post cantatiuum, Amice propugnacula. Et quæque alia qualia & metro scripta sequentes clausulas quorumlibet metrorum ad se trahunt, ita appellabuntur, quia pro odicis versibus ἐπαδονται, id est accinuntur.

DE STROPHE ET ANTISTROPHE & Epodo.

PLeraque Lyricorum carminum, quæ versu collisq̄ue & commatibus componuntur, ex Strophe & Antistrophe & Epodo, ut Græci appellant, ordinata subsistunt, quorum ratio talis est. Antiqui deorum laudes carminibus comprehensas circum aras eorum euntes canebant, cuius primum ambitum quem ingrediebantur ex parte dextra τροφὴν vocabant. Reuersionem autem sinistrosam factam, completo priore orbe, Antistrophon appellabant. Dein in cōspectu deorum soliti consistere, canticum reliqua conseq̄uebantur, appellantes id Epodon. Nam Epodos est tertia pars aut periodus Lyricæ odes. Igitur quæ post τροφὴν, &

& ἀντίτροφὴν, ἐπαδὸν diccbant. ἐπαδὸν quidem est sumptum vocabulum in has Epodos, quæ binos versus impares habent. Nam ut illæ canticum finiebant, sic hæc sensum versu insequenti. Hoc quia è tribus subsistit, appellatur τριάς. Ita ut omnis & τροφὴ & ἀντίτροφος & ἐπαδὸς totidem habeant syllabas in proxima periodo, quæ subijcitur priori, ut sit aut ἰσόμετρος aut ἰσόχρονος quolibet metro seu Rhythmo subsistens. Nam sicut dextra manus impares habet digitos, sed numero pares sunt sinistræ manus si conferas digitis, * sic strophes cola, cum sint dissimilia in proxima Epodo subiectæ triados. Obseruabis autem ut temporibus non syllabis pedes diuidas, ut soluantur duæ longæ in quatuor, & dissyllabo pede pro tetrasyllabo utaris, parique vice quatuor syllabarū breuiū tempora in duo contrahantur, quod per necessitatem fieri licet, ut aut diuisæ numero respondeant, aut coniunctæ temporum spacijs occurrant, quod & in cæteris metris generali præcepto seruabimus. Inter hæc sunt quædam carmina quæ Monostropha appellantur, quod duas periodos & eas pares habeant, neque Epodo, ut alia, concludantur. Præterea reperitur nonnunquam huiusmodi compositio versuum in carminibus, non ut prima compositio secundæ compositioni, sicut in τροφὴ & antistropho, respondeant, sed ut prima tertiæ, secunda quartæ similis habeatur, quæ compositio κατὰ περιστροφὴν ἀνομοιομετρῆ dicitur: est enim περιστροφὴ carmen subsistens ex Strophe & Antistrophe & Epodo, vel bis

76 DE STROPHE, ANTISTR. EPOD.
 vel ter, vel sæpius carmen concludat, * μονοπερίκοπον
 nominatur. Si vero dissimilia inter se in Epodis
 cola iungantur πολυπερίκοπον nuncupatur, quando
 non solenni continuatione, sed per distantiam &
 varietatem in Epodis periodi compleantur. id est,
 tres partes, eas è quibus pericope subsistit, quæ
 ἀνομοιομερῆ merito diximus: & est, dissimilium par-
 tium copulatione Periodi conclusio, si quidem in-
 ducta prima Strophe & Antistrophe rursus aliam
 Strophen & Antistrophen præcedentibus dissi-
 milem afferant, & rursus tertiam, nihil duabus præ-
 euntibus similè, & quartam æque à cæteris discre-
 pantem. cui varietati solent illud adiungere, vt po-
 strema Epodos cunctis dissimilis aliquando iun-
 gatur, quod non tantum Tragici, sed & Lyrici au-
 thores in Epodis sæpe fecerunt. Hoc loco non
 supersederim dicere esse brevia cola, quæ post
 Strophen & Antistrophon supercini moris est,
 quæ iam non ἐπωδοὶ sed ἐφύμνια dicentur, vt est
 ἡ παιάν. Hæc enim vel Hymnis vel Dithyrambis
 supercini moris est, quæ Epodicis carminibus, si
 quando præponuntur προύμνια, si autem post Anti-
 strophon collocantur, μεθύμνια nuncupabuntur. Hoc
 genus in sacris cantilenæ ferunt quidam instituisse
 Theseum, qui occiso Minotauro cum apud Delum
 solueret vota, imitatus intortum & flexuosum iter
 Labyrinthi, cum pueris virginibusque cum quis
 euaserat cantus ædebat, primo in circuitu, dehinc
 in recurso, id est, ερωφῆ & Antistropho. Alij tradunt
 hunc sacrorum concentum, mundi cantum cur-
 sum-

LIBER PRIMVS. 77
 sumque ab hominibus imitari. Namque in hoc
 quinque stellæ quas Erraticas vocant, sed & sol &
 luna, vt doctiores tradunt Philosophorum, iucun-
 dissimos ædunt sonos, per orbés suos nitentes. Igi-
 tur concentum mundi cursumque imitans chorus
 canebat: dextrorsumque primo tripudiando ibat,
 (quia cœlum dextrorsum ab ortu ad occasum vol-
 uitur,) dehinc sinistrorsum redibant, quando-
 quidem sol lunaque & cætera erratica sydera, quæ
 Græci πλανήτας vocant, sinistrorsum ab occasu ad
 ortum feruntur. Tertio consistebant canendo,
 quia terra (circa quam cœlum rotatur) immobilis
 medio stat mundo. De qua re Varius sic tradit,
 primum huic, neruis septem est intenta fides, va-
 rijque additi vocum modi, ad quos mundi reso-
 nat tenor, sua se voluentis in vestigia. Itē & Varro,
 Vidit & ætherio mundum torquerier axe,
 Et septem æternis sonitum dare vocibus orbés,
 Nitentes alijs alios, quæ maxima diuis
 Læticia stat tunc longæ gratissima Phœbi.
 Dexterâ consimiles meditatatur reddere voces.

DE METRORVM FINE.
 Nunc de metrorum, prout versus processerit,
 præscripto & legitimo fine, clausulaque dice-
 mus. nam metrica lege in fine versuum quadri-
 partita conclusio est, per quam exitus metri status-
 que dinoscitur, vtrum pede, seu semipede, vel Di-
 podia sit terminatū. Hanc Græci κατάληξιν vocant:
 id est, cum legitimum metrum in Syzygia simpli-

cempedem, in Monopodia vero, id est in sym-
plici pede syllabam perdit. Huius species quatuor,
nam aut Acatalecticum est aut Catalecticum, aut
Brachycatalectum, aut Hypercatalectum: id est,
cum in fine versuum nunc desunt, nunc exuberant
syllabæ, aut manent integræ. Est igitur Catalecti-
cum quoties in fine versus syllaba vna, pro toto
pede accipitur, atque ita posita, velut refrenat &
cohibet metri cursum. Acatalectum autem, quod
nouissimum pedem integrum pro conditione sui
metri obtinet, cui nihil abūdat aut deest. Brachy-
catalectū vero, cum vno pede, id est, duabus syl-
labis metrū imminuitur, & pro Dipodia pes vnus
ponitur, scilicet cum dipodiæ feriūtur. Hoc metrū
quidam Colobon vocant: Miuron enim vna fit syl-
laba detracta. Hypercatalectum contra, cum me-
trum in postrema parte versus vna syllaba abundat
vltra quam exigit Dipodiæ numerus, pro lege ver-
sus propositi terminatus. Id vt planius sub exem-
plo Heroici versus faciam, erit acatalectum, quod
integrus suis pedibus & modis finitur: vt,

Arma virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris.
Catalecticum si vna syllaba ei detrahatur: vt,

Arma virumque cano, Troiæ qui primus ab o.
Brachycatalectum, si duæ: vt,

Arma virumque cano, Troiæ qui primus ab.
Hypercatalectum si vna, amplius quam versus in-
teger exigit, syllaba exuberet: vt, (risque.

Arma virumque cano, Troiæ qui primus ab o.
Quod in omni genere metrorum obseruabitur.

Rur-

Rursus, vt exempla etiam ex his metris, quæ con-
iugationibus gradiuntur, proferamus, cum ad per-
fectam coniugationem pes integer deest, erit
Brachycatalectum: vt est hoc Tetrametrum,

Quis non adultas detrahat ramo voluptates.

Habet enim tres integras coniugationes, & quar-
tam vno pede breuiorem. Catalecticum autem,
cum perfectæ coniugationi non pes sed syllaba
amputatur, vt est hoc tetrametrum, habet enim
quartam coniugationem, vna syllaba breuiorem.
Cærulæ Neptune rector vndæ, littorum potens.
Acatalectum autem, cui, vt supra diximus, neque
deest ad integram coniugationem, neque abun-
dât quicquam, vt est hoc trimetrum,

Amare nolo nec dolere Clinia.

Hypercatalectum vero cum ad integram coniu-
gationem vna abundat syllaba, vt est hoc tri-
metrum,

Caduca populi coma glauca iam per agros.
Sed metra magis gaudēt Catalecticis conclusioni-
bus. Proprie autē Iambica metra gaudent Acatale-
ctis & Catalecticis & Hypercatalectis conclusio-
nibus, aduersantur autem Brachycatalectis: Tro-
chaica vero Hypercatalectis eiectis, residuas con-
clusiones admittunt. Choriambica autem & Antis-
pastica iisdē conclusionibus, quibus etiam Iambica
lætantur, Ionica autem Trochaicis depositionibus
sociātur, & ideo Hypercatalectica illis exosa sunt.
Dactylica vero & Anapæstica magis Acatalectis
delectantur. Præter has autem depositiones

est æque quæ *δικαταληξία* nominatur, cum ex diuersis metris versus sub vnus figura componitur. Nā si sit Dactylica Tetrapodia & Ithyphallus, id est supra quatuor dactylos pedestres continui Trochæi subijciantur, isque versus quasi vniformis pronuntietur, *δικαταληξίαν* patitur. Quando quidem quarto pede dactylico & pars orationis & Catalectici metri finis includitur, atque ita rursus Trochaicum dimetrum Brachycatalectum adiungitur, quod Ithyphallicū nominatur, vt est, (pido.

Tūc & amoris amor venit improbus aliger
 Occasio suggerit hoc loco etiam illud dicere, quædam metra familiariter proprijs pedibus terminari, nam Iambica Catalectica Iambis, Acatalectica Iambo superfluente syllaba, similiter Trochaica & Anapæstica suis libentius terminantur: contra, quædam alienis depositionibus gaudent, vt Antispastica & Choriambica Iambicis coniugationibus, Ionica autem vtraque Trochaicis. Siquidem sunt his finitima & familiaria metra singula singulis, nō enim solum in fine ponuntur, sed in medietate versus, & inter initia coniunguntur. Scias autem in omni metro nouissimam syllabam, *ἀδιάφορον*, id est, indifferentē esse. Nihil enim metri interest, vtrum illa longa sit an breuis, ea videlicet ratione, quia distinctionis mora breue tempus ostendit. Longam autem syllabam pro breui accipi finalem ea ratione putauerunt, qua reperiuntur in metris longæ plerumque pro breuibus positæ, quas communes vocant, vt est,

Insulæ

Insulæ Ionio in magno.

Vnde fit, vt in omni metro nouissima syllaba indifferens habeatur. Nam Aristoxenus musicus dicit breues finales in metris, si collectiores sint, eō aptiores separationi versus à sequente versu fieri, iccircoque in sexta sede trisyllabos figura non ponitur, quia moram habet. at contra dissyllabos familiaris est, quia celerius desinit, & eo magis, si posteriorē syllabam breuem habuerint.

DE EPIPOCE IDEST

Metrorum amplexione.

Nunc de metrorum connexionibus, quas Epiplocas Græci appellant, dicemus. Adiectione enim & detractioe per syllabas & tempora his accidentia metra variantur. Dicta autem Epiploce, id est amplexio, à metricis, eo quod copulari metra metris diuersa his adiectionibus, detractioibus, aut etiam translationibus videantur. harum species sunt tres, quarum prima Trisemos, secunda Tetrasemos, tertia Hexasemos dicitur, ex eo quod è tribus, & quatuor, & sex temporibus subsistant, quæ, detractis ab initio versus primis syllabis, diuersa metrorum genera informant. Quarū prima erit *ἐπιπλοκή δυαδική τρισημος*, id est, cum iambicis Trochaica connexa variatur in species duas, vtraque Trisemas, vt diximus, temporum trium: in coniugatione vero sunt *ἑξάσημοι*, id est temporum sex. Nam Iambico versui, vt est,

Paratus omne Cæsaris periculum.
 Si adieceris longam, efficies trochaicum, vt,

F

Oparatus omne Cæsaris periculum.
Rursus Trochaico si detrahas primam syllabam,
Iambicum efficies, velut est,

Celer Phaselus ille quem videtis.
Aut cum Dactylicis Anapæstica sociantur, simili-
liter ἐπιπλοκὴν δυαδικὴν τετρασημον faciunt, vt,

Arma virumque cano. (vt,
Huic si accesserint duæ breues, fiet Anapæsticus,
Ades arma virumque cano.

Rursus adiecta longa fiet Dactylicus, vt,
Pro ades arma virumque cano.

Quod adæque vt supra per duas species variatum
est Dactylici & Anapæstici, & ideo δυαδική, id est
duarum amplexio, Tetrasemos autem propter
quatuor tempora, quibus vterque pes extenditur,
appellatur, qui in coniugationem copulati Octa-
semi fiunt. Obseruabis autem in hac specie sem-
per duas breues aut adijcere aut detrahare longam
vnam, quod est vterque pes trisyllabos. Tertia
ἐπιπλοκὴ est in Ionicis duobus & Choriambico &
Antispasto, quæ τετραδικὴ hexasemos dicitur, id est,
amplexio quadra, quatuor enim pedes sibi mutuo
connectuntur. Temporibus autem sex constant.
nam cum sit hic versus Ionici minoris,

Dea fecit dea belli dominatrix Phrygas.
Adiecta longa fit Choriambicon, vt,

Cur dea fecit dea belli dominatrix Phrygas.
Rursus adiecta alia, efficiet Ionicum maiorem, sic,
Hoc cur dea fecit dea belli dominatrix Phrygas.
Item adiectio breuis quartam speciem in pede

Et

Antispasto procreabit, ita,

Et hoc cur dea fecit dea belli dominatrix Phry-
Adæque & hic versus apud Horatium, (gas.

Miserarum est neq; amori dare ludum neque dulci.
Constat ex Ionico minore, huic si copulaueris
longam, erit Choriambicum, (dulci.

Quam miserarum est neq; amori dare ludum neque
Item longa alia apposita facit Ionicum maiorem, vt,
O quam miserarum est neq; amori dare ludum
neque dulci.

Breuis autem prælata antispastum informabit, sic,
Et o quam miserarum est neque amori dare lu-
dum neque dulci.

Ad summum omnis ἐπιπλοκὴ proprijs pedibus
nulla intermixtione aliorum subsistens, suis usque
ad vltimum pedibus, terminabitur: sin autem alios
admiserit, variabitur. nam familiare est vtriusque
Ionicis Trochaicas sibi bases admiscere. Ergo syn-
cerum μονοειδές, Mixtum autem ἡμιειδές vocabitur.

DE TOMESIVE IN- cisione versuum.

Incisiones etiam versuum, quas Græci τομαὶς vo-
cant, ante omnia in Hexametro heroico necessa-
rio obseruandæ sunt. Omnis enim versus in duo
cola formandus est, qui Heroici Hexameter
merito nuncupabitur, si competenti diuisionum
ratione dirimatur. Sex enim pedum percussio
versum quidem hexametrum, non tamen He-
roicum, quem Epicum, si legem incisionis non te-
nerit, faciet. Quarum prima Penthemimeres Tome

dicitur, cum post duos pedes sequens syllaba ple-
nam orationis partē distinguit cuius exemplū erit,
Quam Iuno fertur.

Verbum enim post duos pedes concludit ac de-
terminat syllaba, quæ in metro semper habetur.
Ut sequens sermo ab integra parte orationis inci-
piat. Geminata autem penthemimeres Tome ver-
sum pentametrum complet, ut,

Quam Iuno fertur, quam Iuno fertur.

Secundam diuisionem *ἐφθήμερη* Græci dixerunt,
quæ tribus pedibus emensis adijcit syllabam, com-
pletque sensum quacunque orationis particula.
Huic, sicut & superiori, nomen inditum ex eo est,
quod tribus pedibus & vna syllaba, id est, semipe-
de, quæ in Arsi & Thesi septem motus efficiunt,
versum diuidat. Cuius exemplum erit,

Quam Iuno fertur terris.

Nam post tres pedes suprema, ris, syllaba sensum
complet. Erunt igitur hæ duæ principales Tomæ,
ut dictum est, Heroici versus incisiones, quibus si-
militer & Iambici & trimetri diuiduntur. Sed his
in Heroo duæ aliæ accedunt. Nam si harum neu-
tram inueneris, tertium Trochæum in versu con-
quires: id est Penthemimeren dissyllabo clausam,
ut est,

Infandum regina.

Nam percussis duobus pedibus, tertius pes Tro-
chæus est, gina, cui coniuncta breuis, iu, secundū
legem versus hexametri dactylum complet. bes,
autem syllaba, & sensum superioris coli integrat, ut
fiat

fiat hephthemimeres, & sequentis pedis initium
inducit. Eodem modo & quartus Trochæus acci-
pietur, qui raro admodum reperietur, ut est,

Quæ pax longa remiserat arma nouare parabāt.
Quartus pes Trochæus, Arma, vide Hephthemi-
merem dissyllabo clausam, ut supra, cui annexa
breuis, no, syllaba Dactylum lege Heroici versus
implet. Harum si nullam in hexametro speciem
inueneris, Heroum versus iure ac merito negabis.
Nonnunquam autem euenit, ut in eodem versu
plures incisiones, id est, Penthemimerē, & Heph-
themimeren, & eam quæ quarta cæsura partem
orationis terminat (quam Bucolicon Græci di-
cunt) reperiamus: ut,

Arma virumque cano Troiæ qui primus ab oris.
Nam iæ qui, pes in versu quartus eam diuisionem
explicat, quam Bucolicon vocari dictum est, sub
qua pedum percussione sensus impletur. Nam Bu-
colici metri hæc lex est, quam per omne opus sui
carminis Theocritus Syracusanus obseruat, exce-
ptis paucis versiculis de quibus in processu di-
cemus.

DE CONCVRSV ET COL- lisione vocalium.

Obseruanda præcipue in metris litterarum vo-
calium inter se collisio, quæ trifariam euenit,
id est, per *συναλοιφήν ἐκθλιψιν, συνεκφώνησιν, vel συναίρεσιν*,
quarum inter se differentia talis est: Nam *συναλοιφή*
est cum inter duas loquelas duarum vocalium

concurfus alteram elidit: id est, cum duæ partes orationis ita coëunt, vt altera in vocalem desinat, & altera incipiat à vocali: vt,

Hic hasta Æneæ stabat. Item,

Priamiq̄ue euertere gentem.

Nec tamen putaueris quamlibet è duabus eximi posse, illa enim quæ superuenit, priorem semper excludit, non prior sequentem. ἐκθλιψις autem vel ἐκτεριψις, fit, cum duæ inter se dictiones dure concurrentes aliquam pluresue vocalium cum consonanti duntaxat exprimunt: vt,

Multum ille & terris iactatus & alto. Item,

Circundat necquicquã humeris & inutile ferrũ. *συνεκφώνησις* vero, cum duæ vocales in vnam syllabam coguntur, quæ possunt duarum syllabarum locum diuisæ complere, dumtaxat interposita consonante: cum, Phaethon, in Metro sic enūtiatur, vt ex trisyllabo nomine, dissyllabon faciat: ita,

Cum te flagranti deiecit fulmine Phæthon.
Et illud Maronis,

villis onerosum atque vnguibus aureis.

aureis enim pronuntiandum est. In scandendo autem, REIS, syllaba non diuiditur, sed, E littera in vnitatem cum I deducta per diphthongon Græco more & ratione scripta, enuntiatur. Sed & nostri veteres eas syllabas, in quibus I productum inuenitur, E anteposito scriptitabant, vt in antiquis libris inuenimus. consimili ratione quæritur, Orpheus in metro (vt, (pheus)

Non me carminibus vincet nec Thracius Or-

vtrum

vtrum trisyllabum an dissyllabum sit, an idem nomen duplici enuntiatione promatur, aut sine A littera, vt Pentheus, aut cum A, vt ita declinetur Orphæus, vt Aristæus. Visum est tamen hoc posse discerni, vt illa sine. a. littera, Græca sit enuntiation, hæc, Latina quæ per diphthongon effertur. Sed vt ad propositum reuertamur, quidam superioribus tribus quartam speciem addiderunt, quam Græci dicunt κρᾶσις, id est, cum vnus litteræ vocalis in duas syllabas fit communiõ, vt,

Audire est operæ precium procedere recte. Item, Quæcunque est fortuna mea est.

Quæ veluti per contrarium *συνεκφώνησις* in metris imitatur. Hæ figuræ sollicitè obseruandæ sunt, tam in Heroicis quam Iambicis ac cæteris metrorum generibus, ne nobis per negligentiam obrepant, maximumq̄ue errorem afferant.

DE VITIIS VERSVVM.

INter alia, quæ in metris vitanda esse præcepimus, tria vel maxime hæc obseruanda vitia nobis sunt, quibus vulnerati versus claudicabunt, quæ trifariam contingunt. Nam aut in principio, aut medietate, aut in extrema sui parte corrumuntur. Igitur cuius initium pro conditione propriæ legis nequaquam integrum processerit, ἀκίφαλος dicitur, veluti, capite imminuto: vt,

Fluuiorum Rex Eridanus. Item,

Adicias nec te vllius violentia vincat,

In media vero parte læsus λαγαρός appellatur: vt,

Anchisen facio certum.

Quibus qui medentur, finalis syllabæ excusa-
tione succurrunt, ne media versus sede Iambus
habeatur causantes, quod parte orationis termi-
nata pro longa positione accipienda sit, vt,

Quam Iuno fertur. Et,

Quis te magne Cato tacitum. Item,

Classe veho mecum.

At in vltima μέτρος ob decurtationem, vt Græci
dixerunt, caudæ, id est, extimæ partis: vt est ille
versus apud Homerum,

Τρώες δ' ἐρρίγησαν ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν.

Cuius exemplo etiam nos vtemur ita,

Attoniti Troës viso serpente paurant.

Cui quidam ita medentur, vt dicant Homerum
artis Poëticæ patrem geminata littera, ὄφφιν, dixisse,
sicut & ὄφφιν, ὄφφιν, ὄφφιν. At cum Liuius Andronicus
præmisso hexametro huiusmodi subnectat versus
per ordinem Iambo terminatos, nouam potius
hanc speciem, quam μέτρον æstimant versum, &
Teliambon appellant. Nam in Hymno Dianæ
apud eundem ita inueniuntur in fabula Inone,

Sed iam purpureo furas include coturno,

Balteus & reuocet volucres in pectore sinus.

Pressaq; iâ grauida crepitēt tibi terga pharetra,

Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

Nam cum superiorem versum plerunq; Chorius,
sequentem Iambus terminent, non absurde Cho-
riambicam clausulam idem affectasse in eiusmodi
modulatione dicetur, ea videlicet contem-

pla-

platione, qua viderit Homerum, fontem atq; ori-
ginem metricæ disciplinæ, non tantum in duobus
corpusculis Iliados & Odysseæ his versibus Te-
liambis frequenter vsus, sed & in eo carmine cui
Margite nomen est, eundem Herois Hexametris
Trimetros Iambicos tanquam pares numero mis-
cuisse viderit, quæ ratione id in opere suo Liuius.
Nobis autem, quibus isto in artis Metricæ com-
mentario omnia insinuandi curæ ac moris est, ne

aut per imperitiam, aut negligentiam id præ-

terisse ab obtrectatoribus diceremur,

vtutumque super huiusmodi condi-

tione versuum aperire atque ex-

promere in maximo opere

& studio fuit.



M A R I I
V I C T O R I N I
D E D I D A S C A L I C I S
metricis Liber Secundus.

D E P R O T O T Y P I S
speciebus nouem.



RE D O nos omnia, quæ ad instructionem metricæ disciplinæ, velut quædam primæ institutionis incunabula, quæ necessaria his, quibus huiusce artis voluptas ac studium est, intimanda sunt, affatim persecutos. Vnde nunc ad nouem Prototypa, id est primiformia omnium metrorum genera, è quorum fonte & origine deriuata innumerabilis metrorum profluit copia, stylum nostri operis conuertam, de quorum disciplina & præceptis, & ratione omni, qua inter se congruunt siue dissentiunt, textus huiussecundi voluminis singula quæque referans explicabit. Auspicandum igitur ab eo nobis pede potissimum credidi, qui heroum metrum principem omnium continens
etiam

etiam nominis sui appellatione signauit. Siquidem nonnulli ambigant, à quo è duobus, metrorum ordinem inchoantes exordium capiant. Nam qui à Iambo initium trahunt, eo studio id fieri volunt, quod idem à breui, à quo his origo est, incipiens tempore, & longo desinens, veluti à minori ad maius egressus per temporum incrementa confluat. Pyrrichius enim nullum ex se metrum ædidit: Trochæus vero à longa incipit. Nos autem, ut dictum est, principi metrorum omnium Heroo, siue Pythio, deferentes, non absurde à Dactylico auspicandum esse censuimus. Igitur Prototypa, id est primiformia nouem metra, quorum & in primo mentionem fecimus, sunt hæc: E quibus primum Dactylicum, dehinc Anapæsticum, post Iambicum, & Trochaicum, & Choriambicum & Antispæsticum, Ionicum ἀπὸ μέσζονος, Ionicum ἀπὸ ἐλάσσονος, & Pæonicum. Nam Proceleusmaticum, speciem nouem prototypis decimam associandam esse quidam putant, de quo suo loco. Placuit itaque hoc situ ordinis ad illuminandas eorum inter se alterationes ac mutuas æmulationum vicissitudines (quas per contrariam naturæ positionem habere noscuntur) eadē sic digerere, ut dactylicis Anapæstica, Iambicis Trochaica, & cætera, ut paulo ante induximus, à diuerso proposita, quo dissentiant ac differant, siue copulentur & congruant ipsa inter se comparatione proposita, non solum ingenij sed oculorum veluti contemplatione percepta, in promptu ac propatulo habeantur.

DE DACTYLICO METRO.

Igitur Dactylicum hexametrum cōstat è Spondeo, Trochæo & eodem Dactylo: habet autem sedes sex, quas Aristoxenus Musicus *χώρας* vocat. Recipit autem pedales figuras tres, has Græci dicunt *ποδικὰ σχήματα*. Nam aut in sex partes diuiditur per Monopodiam, aut in tres per Dipodiam, & fit Trimetrus, aut in duas per *διῶλα* duo, quibus omnis versus constat, dirimitur. E cuius genere hæc metrorum species gignuntur. Diphiliū seu Chœrilium, Logoædicum seu Archebulium, Æolicum siue Saphicum, & cætera de quorum statu ac ratione suo loco dicemus. Dactylici igitur metri, id præcipuum est, quod Heroum, appellatur. differt enim à Dactylico Heroum eo quod & Dactylicum est, & in duas cæditur partes, de quibus supra diximus, Penthemimerem & hephthemimerem. Dactylicum enim, licet iisdem subsistat pedibus non tamen iisdem diuisionibus, vt herous cæditur versus. Inter Spondeum autem & Dactylū mensura temporum congruente, etiam in Arsi & Thesi eadem æqualitas stabit, quam Græci dicunt *ἴσον λόγον*, quæ & per coniunctionem & diuisionē, vt supra docuimus, mutua procreatio est, meritoq; indifferenter in quacunque versus sede (vt fors scandendi processerit) reperiuntur dumtaxat vsq; ad pedem quartum. Quintus enim frequenter, vt Heroum decet, Dactylus esse debet. eadem cognatione etiam Anapæstus, qui è Spondei prima in duas

duas breues diuisa efficitur, herou possent annecti metro, nisi, incipienti Dactylo & subiuncto Anapæsto, mediæ breues numero quatuor Heroum versus deformarent: seu quod Anapæsti per syllabas gradientur, siue quia metrorum ferè omniū natura talis est, vt caueant ne singulas partes orationis singulorum pedum sine concludant, sed potius vt verba vel nomina ex residua sui parte frequentibus pedibus annectant, quo pacto euenit vocum integer pes esse, sed sane vt perfectæ parti orationis de sequenti sermone aliquid accedat, nec vnquam facile cum fine pedis pars orationis impleatur. In Anapæstis autem cōtra euenit istud: etenim pes hic singulis coniugationibus partem orationis includere, sicut in Comædijs pleraque exempla declarant. Nonnunquam hæc obseruatio prætermittitur, sed qui fuerint versus, neq; sonum neque gratiam habebunt, & profæ orationi similes audientur. Trochæus numero tantum syllabarum Spondeo congruens, velut alienus ab his, semper in extrema parte versus locabitur. Super quo etiam nunc inter Grammaticos lis pendet: nam qui eum asserunt, ferunt pulchriorem versus Epicum effici, si *κατάληξι* habeat, id est, si Trochæo claudente terminetur: vt persuadeant dactylicis pedibus familiariter Trochæos in depositionibus coniugari. Aduersus quos alij loci extimo, in quo tantum locali præscriptione nituntur. Nec immerito, vt nouissima eius syllaba, quæ semper breuis est, mora temporis intercedente, quæ in fine versus natura-

liter contingit, suppleatur, quo tunc demum pro longa sumatur, sicut pleræq; in metris finales syllabæ, vël quod in omni versu vltima brevis *ἀδιάφορος*, id est indifferens, habeatur. Quæ tamen persuasio in medio posita potest & Trochæo accidere. non amat autē, vt dictū est, per singulos pedes verba finire, sed immiscere syllabas. Nā qui per singulos pedes verba terminarit, erit indecens: sicut,

Pythie Delie, te colo, prospice, vota q; firma.

At si misceantur syllabæ erit decentissimus: vt,

At regina graui iam dudum saucia cura.

Adæque obseruatur, ne tertius pes verbum finiat, versumq; à se deducat: vt est,

Cui non dictus Hylas puer & Latonia Delos?
Herói versus vitiosi habentur, qui ex solis Dactylis vel solis Spondeis constant, quia in talibus aut grauis tarditas, aut velocitas nimia, vitiosa est. Insignes autem in metris sunt, aut Dactylici, in quo quinque dactyli vltimo Spondeo clauduntur: vt,

Panditur interea domus omnipotentis olympi.

Aut *σπονδαίζοντες*, id est, cum in quinta & sexta regione versus, pedes Spondei ponuntur: vt,

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

Aut in monosyllabum desinentes: vt,
procumbit humibos.

Aut quatuor orationis partibus decurrentes: vt,

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

Aut *ἀσύνδετοι* & *διὰ πέντε*: vt,

Formosum pastor Coridon ardebat Alexin.

Incipit autem versus Herous Hexameter à duodecim

decim syllabis, in quo omnes Spondei sunt: vt,

Non phocæ turpes, non marcentes balenæ.

Et crescit vsque ad septemdecim syllabas. Quotiens autem Dactylus accedit, toties syllaba accrescit: quas species sub exemplis enumerare, & apud nos longum, & apud eruditos absurdum habeatur, quotiens & quibus in locis per alternas Dactyli & Spondei vices inter se obortæ collocentur: quas tamen triginta duas esse, manifestum est. Est autem Herous versus temporum viginti quatuor, Spondeo dumtaxat vltimo. At si Trochæus versum clauserit, viginti trium: quem volunt haberi Hexametrum Catalecticum. Memineris autem sæpe Græcos huic metro Molossium & Palimbachium & Creticum loco Dactyli sub lege syllabarum communium admiscere. Nam & apud nos similis versus reperitur, in quo primus Amphimacrus: vt est,

Insulæ Ionio in magno.

Qui tamen certa ratione Creticus non est. Nam tertiam longam, id est, æ, diphtongon quæ Creticum pro Dactylo dedit sequens syllaba à vocali incipiens, dum tempus prioris in se trahit, produci non patitur, atq; ita productam vocalē superueniens alia vocalis elidit. Nec te idem pes in illo versu decipiat, velut huius similis, qui est talis,

Ponite spes sibi quisque.

Nec enim hic, vt in superiore, primus pes Creticus erit, propter duas consonantes, sed pes est Dactylus, primo quod pars orationis cōpleatur cum

pede, id est, Ponite, de hinc quod, sp, sequētis pedis inferre superiori non possunt, quando aliū inchoant sensum. nec vnquam consonantes duæ longam syllabam faciunt, nisi in eadem parte verbi constitutæ: quod & in cæteris obseruabimus. Incipit autem & accrescit per augmenta syllabarum Dactylicum metrum à Dimetro vsq; ad hexametrum. Erit ergo versus Dimetrus Catalecticus, qui duobus suis duntaxat pedibus subsistit, tanquam,
Terruit orbem.

Quod concurrit etiam in Choriambicum Monometrum Hypercatalectum, quod Adonidium appellatur. Trimetrus autem acatalectus, qui è tribus. vt,

Cui non dictus Hylas puer.

Hoc ἠμισπῆς dicitur: quo Simonides frequenter vsus est. Tetrametros, qui è quatuor. vt,

Nos patriæ fines, & dulcia.

Qui in dactylum desinens Alcmanicū, in Spondeum vero Archilochium metrum efficit. Pentametrus, Catalecticus, qui è quinque. vt,

Phœbus me docuit iuga Pieridum sequi.

Et hoc Simonidium dicitur. Hexametrum cui sex incisiones sunt. vt,

Oceanum interea surgens aurora reliquit.

Fit Catalecticum in syllaba cuius ea compositio est, vt habeat duos Dactylos & Spondeū, dehinc totidem Dactylos, & in fine syllabam, vt,

Alma parens genitrix diuum decus Oceano.

Nam si vna syllaba breuius fuerit à legitimo Hexametro

Hexametro Heroo, dicetur Diphilium metrum. Ita tamen vt ista versificatio tertium pedem Spōdeum semper habeat. Hoc quoque dignum eruditae auribus non prætermiserim, repertum in hexametro versu Dactylico, cui tamen duo cola è duobus Dactylis & Spondeo constabunt, quatuor pedes dissyllabos, id est, Trochæum, Iambū, Pyrrichium, Spondeum, per ordinem semper positos inueniri, si velis alias quàm Hexametri Heroi lex postulat, scandere. Vt est apud Homerum,

Ζεὺς δ' ἑ θεῶν ἀγορῆν ποιήσατο τετρακίραυτος.

Et apud nostrum,

Conciliumque vocat diuum pater atq; hominum rex. Et,

Incipe Menalios mecum mea tibia versus.

Et appellatur quadrupes δωδεκάσημος περίοδος, eo quod quatuor pedes temporum duodecim, quasi per circuitum quendam recurrētes contineat. Sed de his hætenus. Namque ex Heroo metro per adiectionem & detractionem: item per immutationem & concinnationem genera metrorū propagata, quibusue vocabulis nuncupata sunt, decursis speciebus prototypis, de quibus nunc sermo est, persequemur, quo facilius cætera, enodatis atque illuminatis principalibus, intelligantur: nec tamen omnia, quorum infinitus atque immensus est numerus, ausim promittere, sed quæ potior autoritas approbat, vel frequens vsus celebrando commendat. Heroici versus hexametri cola seu commata, alia sunt (vt Græci dicunt) ἀρκτητὰ, alia

τελικὰ, alia κοινὰ. e quibus alia initijs, alia clausulis versuum connexa respondent, quas particulas, si necesse sit, ausim dicere initiales, & finales seu nouissimales: Cōmunes autē quia & initio & fini societate congruunt. Igitur tetrametrus versus Heroicus initialis erit talis,

Odryfium Martem cane barbite.

Finalis seu nouissimalis,

Odryfio lyra carmine cantat.

Communis autem,

Mensorem cohibent Archita.

Trimetrus initialis,

Sic te diua potens Cypri.

Quod metrum Gliconium octosyllabum dicitur.

Finalis autem, Grato Pyrrha sub antro. Quod φρῆκράτειον ἑπτασύλλαβον appellatur.

Dimetrus Heroicus initialis erit,

Arma sonantia.

Nouissimalis, qui pentasyllabus dicitur,

Terruit orbem.

Nam tam in prima quàm postrema parte posita hæc cola, assumptis reliquis quatuor pedibus, faciunt Heroicum Hexametrum, quæ portiuncula etiam ex Iambico versu per huiusmodi cola decissæ pleraque ex se pari syllabarum ratione metrorum genera procreabunt. Inter hæc, ne ignorasse videar, non prætermiserim, quod ferunt apud aucthores exempla reperiri, quibus ostendant Hexametrum Dactylicum vsq; ad Octametrum dissyllabo terminatum processisse, ultra quam proceritatem

tatem nihil in eodem scrutandum est.

DE ANAPÆSTICO METRO.

ANapæsticum metrū originem trahere à Rythmo dactylico in dubium non venit, cum iisdem temporibus vterque eorum syllabisque subsistat: vnde à quibusdam, ἀντιδάκτυλον dicitur. Si quidem Dactylus è longa & duabus breuibus, Anapæstus è duabus breuibus & longa digesti, situ ordinis tantum discrepare videatur. Dehinc, quod detracta per ἐπιπλοκὴν Heroo Dactylico prima longa, reliqui pedes in Anapæstum reformatur, in eo dumtaxat versu, qui quinque continuis per ordinem Dactylis currit: vt,

At tuba terribilem sonitum procul ære canoro.
Detracta enim, at, syllaba, qua primus in versu dactylus constat, erunt reliqui pedes Anapæsti, sic,

Tuba terribilem sonitum procul ære canoro.
Recipit autem id metrum pedes quatuor spacio temporum pares, syllabarū numero dispares, Spōdeum, qui est Anapæsti collectio, Dactylum, proceleusmaticum, & eundem Anapæstum in quacunq; sede. Nam cum omnes numero temporum quatuor comprehendantur, tamen diuisione longarum vel coniunctione breuium, cum longæ in breues colliguntur, inter se variatur, & cum diuersis vocabulis nuncupentur, eiusdem fere generis existunt. Nonnulli in vltima huius sede Ionicum minorem recipiunt, ea ratione, qua in fine metrum

omne varie claudatur: dehinc quod etiam ab authoribus studio nouitatis, quædam adijciantur & detrahantur contra quàm ratio veteris disciplinæ permittit. quod & in cæteris metris datur agnoscere. Nam & Iambus in clausula inuenitur, & appellatur Archebulium. At si trisyllabo pede si dumtaxat generis terminetur, adæque Archebulion, sed integrum: nam prius, in quo Iambus, ἀπὸ ἀρχῆς dicitur. volunt enim sicut Dactylicum Trochæo ultimo, ita Anapæstum nonnunquam Iambo concludi, si quidem Dactylus ut Trochæus à longa incipiat, Anapæstus autem ut Iambus desinat, quo fit sonorus. Percutitur vero versus Anapæsticus præcipue per dipodiam, interdum & per singulos pedes. Est autem Percussio cuiuslibet metri in pedes diuisio. Exemplum erit Tetrametri Catalectici, quod est in Anapæsticis, nobilis ille versus,

Alius cithara sonituque potens volucres pedesque mouere. Item,

Admoti labris tuba terribilem sonitum dedit ære canoro.

Quod genus frequens est apud Aristophanem. Vnde & Aristophanium vocatur: non quia conditor eius idem fuit, nam & Aeschylus & Cratinus & alij priores vsi sunt eo, verum quia plurimus in hoc metro Aristophanes est. ut,

Mare non amo quod, modo cum placido stetit æquore, littora cædit.

Erit ergo exemplum Pentametri Acatalecti,

Celebret

Celebret Phœbus cithara superos omnipotentes, resonetque melos Musis placitum.

Tetrametrus autem,

Celebret Phœbus cithara superos omnipotentes, resonetque melos.

Trimetrus vero,

Celebret Phœbus cithara superos omnipotentis.

Dimetrus autem,

Celebret Phœbus cithara superos.

Tres autem pedes tripodiam, ut Græci dicunt, Dimetrum Brachycatalectum faciunt, ita,

Super ardua fertur equis.

Placet nunc eodem ordine, quo pentametrum per metra singula detractioe pedum ad Dimetrum deduximus, sursum versus rursum dimetrum pari lege ad pentametrum perducere, velut,

Lyrico resonet mea Musa potens.

Delo noua carmina pangere gestio.

Afsis age, deprecor, mihi Melpomene nescio.

Scio quæsitum cur Dactylicum singulis pedibus, Anapæsticum per Syzygiam scandatur, cum inter se omnifariam congruant. Persuasum est nullum metrum Hexametro posse esse maius. Igitur cum Anapæsticus versus & septem & octo pedum reperiatur, placuisse maioribus, eum per Syzygias cædi non alias quàm si Dactylus supergrederetur hexametrum, utique per Syzygias scanderetur. Hoc loco dicam, cur, cum sint duæ periodi, seu stasima ut quidam vocant, pari inter se coniugatione copulata, alterum vocetur Anapæsticon, alterum

Dactylicon, cum æque in vtraque cadant mixti Dactylus & Anapæstus. Causa talis, quod Anapæsticum melos binis pedibus amat sensum includere, vt apud Actium,

Inclyte, parua prædite patria, nomine celebri,
Claroq; potēs pectore, Achiuis classib. author.

Quæ periodus circa sex versatur dipodias. Contra Pacuuius nouare propositum volens, noluit intra binos pedes, vt superius, finire sensum, sed secundum Euripidem Dactylicum metrum quod appellatur, inducit, vt nominis mutatio diuersitatem daret huiusmodi Stasimo, seu periodo, vsus.

Agite, ite, voluite, rapite, coma tractate per

Aspera saxa & humum, scindite vestem: ocius.

Apud Alcmanem, disciplinæ huius antiquum authorem, reperitur Trimeterum Catalecticū in syllaba, cui si vna longa præponatur syllaba, fiet Heroum: quod est tale,

Quamuis ego per montes alacer properarem.

Herous ita,

Sed quamuis ego per montes alacer properarē. Cuius mensuræ est hoc quoq; metrū, quod Messeniacū appellatur, & est, vt supra, Trimeterum Catalecticum in syllaba: verum eo distat, quod Anapæstis præcedentibus & Spondeis sequentibus habet factas coniugationes, & postremam syllabā breuem. Idem & Embaterion dicitur, quod est proprium carmen Lacedæmoniorum. Id in prælijs ad incentium virum per tibias canunt, incedentes ad pedem, ante ipsum pugnæ initium.

Superat

Superat montes pater Ideos, nemorumq;
Anapæstici autem versus, qui ex Spondeo & Anapæsto & Dactylo, & rursus Spondeo & Anapæsto & syllaba componuntur, sunt quidem proceritatis trimetræ Catalecticæ:

Pan Mænaliō carmine Nymphas properantes.
Verum hic versus currit Ionico maiori, & pars eius est, qui Sotadius dicitur. & est,

Illæ rumpunt teneras viferæ comas lagei.

Purum vero Anapæsticum tale est,

Nitet aurea purpureæ Veneris coma roscida,
lactea ceruix.

Quod est tetrametrum Catalecticum. Cui etiam id quod ex omnibus Proceleusmaticis cōstat, quando vniformitas omnium breuium metrum facere non sufficit, ascribetur: vt est,

Nemus aue reticuit, ager homine sonat.

Leges cætera etiam Monometra, id est vltimas metrorum particulas, quæ propagatæ Dimetron ex se faciunt, inter metra numerari, è quis Dimetron profecto compositum est. Hæ plerumque in Tragædijs seu Comædijs concitati animi motibus, quos Græci *πάθος* dicunt, exprimuntur, & per interiectionem quorundam affectuum solæ efferruntur, vt Eheu, Papæ, Babæ. Erit ergo Monometrum Anapæsticum Catalecticum, id est suprema longa deficiente, tale:

Propero pede.

Sane memento metra huiusmodi varie, in fine concludi, sicut & cætera: nam aut Acatalecta, aut

Catalectica, aut Brachycatalecta, aut Hypercatalecta ab authoribus promuntur, vt supra ostendimus. Et super hoc hæc tenus. Quantum autem ad metrum Comicum spectat, vt paululum euagemur, scio plurimos affirmare Terentianas maxime fabulas metrum ac disciplinam Græcarum Comædiarum non custodisse, id est, quas Menæder, Philemon, Diphilus & cæteri ædiderunt. Nostri enim in modulâdis metris seu Rhythmis, veteris comædiæ scriptores sequi maluerunt, id est Eupolin, Cratinum, Aristophanem. Prologus itaque & primarum Scenarum actus trimetris comprehendunt, deinde longissimos, id est, tetrametros subdiderunt, qui appellantur quadrati. Postea in consequentibus variauerunt: modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est semipede adiecto, vel integro pede Iambo, vel sesquipede. Hæc per medios actus varie. Rursus in exitu fabularum quadratos, quales diximus in secunda scena, locarunt. Sed item quadrati legitimum sedecim syllabis iuxta ius proprium constare debeant, plerunque inueniuntur viginti aut amplius syllabarum: hinc æstimantur metrum non tenuisse, nec sua lege composuisse. Quod vero ad clausulas, id est minuscula cola pertinet, quot genera versuum sunt, totidem eorum membra pro clausulis poni possunt, & solent in canticis magis quàm deuerbijs, quæ ex trimetro magis subsistunt, collocari, & præcipue apud Plautum, & Næuium & Afranium. Nam hi maxime ex omnibus mem-

bris

bris versuum, colis ab his separatis, licenter vsi reperiuntur in clausulis.

DE IAMBICO METRO.

Hexametro Dactylico trimeter Iambicus comparatur, quem Latine Senarium nominamus, veluti Hexametron, sex enim pedes Iambos habet, vt ille Dactylos, cum vterq; purus ex se figuratur. Trimeter autem appellatur à Græcis, quia tribus percussionibus per dipodias cæditur. Ideoque dicitur & Homerus in Margite suo miscuisse hos versus tanquam pares. Huius mensura vsque ad Pentametrum extèditur, præterea vt Heroum metrum incipit à duodecim syllabis & crescit ad septendecim, ita & Iambicum, velut in his versibus,

Beatus ille qui procul negocijs.

Item septendecim syllabarum,

Quid ais Epidia tibi facilior erit amor.

Sed & tomas quas supra ostendimus, id est, diuisiones versuum recipit Penthemimerem & Hephthemimerem, id est, quinariam & septenariam. E quibus Penthemimeres in trimetris satis probatur, quæ per binos Iambos & semipedem verba finit. vt est,

Diui potentes ferte lassatis opem.

Pessimus autem qui singula verba in dipodijs habet. qualis est,

Præsentium diuinitas cœlestium.

Igitur cum constet esse inter hos versus quandam cognationem, probabimus omnia metra ex his pro-

G 5

fluere fontibus, & ad hæc referri veluti capita, neque ullam aliunde, quam ex his esse originem metrorum in tam immensa varietate. Appellatur autem Iambicum ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, quod Græce significat maledicere, & carpere. Est enim hoc carmen aptum lacerationi & conuitijs, plerunque trimetro versu Epodo sequente compositum: vt,

Malo soluta naus exit alite.

Ferens olentem Meuium.

Et Archilochus in Lycamben hoc metro sæuit. Igitur Iambicum metrum ne propter angustam breuitatem sui pedis, videlicet in tria tempora coartati, verba pura excludendo minus apte, aut metrum pangeret, aut sensum exprimeret, placuit conditoribus asserto Spondeo & qui ex eo per diuisionem temporum gignuntur per Dipodias id scandere. Vnde intelligi datur Iambica metra ex Iambo & Spondeo & eorum solutione subsistere. Nam ex Iambo Tribachus, ex Spōdeo autem soluto Dactylus & Anapæstus creantur. Recipit itaque Iambicus versus in disparibus locis, quos Græci περιτὰς χώρας vocant, id est, primo, tertio & quinto, cum est Tragicus Spondeum, Dactylum, Anapæstum. Paribus autem, quas ἀρτίες χώρας dicunt, eos qui breui syllaba incipiunt, id est Iambū, Tribachum, Anapæstum. Sexto autem loco quidam volunt recipi Pariambum ex contemplatione qua Herous in ultimo trochæum. Lego præterea in fine versus dumtaxat Catalectici tetrametri Bachium à breui incipientem, vel Amphibrachum propter

propter nouissimæ syllabæ indifferētiam admisisse quosdam. In fine autem Acatalecti omnino Iambum seu Tribachum eius progeniem iure constitui, quique in Catalecticis secundam ab vltima sede probabiliter obtinebunt. Mouit nonnullos Iambico metro Trocheum minime sociari, quippe cum tribus temporibus vt idem Iambus constare videatur, posset quidem sub huiusmodi parilitate misceri, sed ne præcedēte Iambo subiunctus Trochæus Antispastum pedem aut Ionicum metrum efficeret, demta ex Iambo prima breui, sequentibus dehinc per ordinem duabus longis totidemque breuib; consequenter, prospectum est, præsertim ne id rursus in Trochaico interpositus Iambus pari more faceret. Nam aut Choriambum aut Ionicum ἀπὸ ἐλάσσονος præeunte Trocheo subiunctus Iambus, demta, vt supra, prima longa faceret, quod adæque obseruatum est in Dactylico & Anapæsto, ne copulati Proceleusmaticum ex se medium gignerent. Improbatur autem apud Tragicos versus ex omnibus Iambis compositus, nam, quo sit amplior & par Tragicæ dignitati, interponunt frequentius in locis dumtaxat imparibus pedum dactylicorum moras & spondeum. Similiter apud Comicos laxius spacium versibus datum est. Nam & illi loca, quæ propria Iambo debentur, Spondeis occupant, Dactyloq; & Anapæsto, locis adæque disparibus. Ita dum cotidianū sermonem imitari nituntur, metra vitiant studio, non imperitia, quod frequentius apud nostros quàm Græcos

inuenies. Genera autem Iambici metri sunt duo, nam ex his alia integra, alia clauda, quæ Scazonta seu Choliamba vocant, inducuntur: quorum differentiam penultima versus syllaba demonstrabit. Nam si breuis contigerit, erit rectum & integrum Iambicum. ita,

Vigoris adde concitum celerem pedem.
Sin vero longa, delumbe & claudum. vt est,
Nouitate ductus est non inscius legis.

le, longa, quæ penultima reperitur, metrum corrumpit. Huius repertor Hipponax, nam pro Iambo inductus Trochæus cōtra legem trimetri Iambici metrum innouauit, quod adæque ex Spondeo contingit. Igitur Iambicus pentameter compositus auctore Archilochō ex trimetro & dimetro, Acatalectus erit talis,

Beatus ille qui procul negocijs vt prisca gens
mortalium.

Trimetrus vero,

Beatus ille qui procul negocijs.

Dimetrus quoq; quod Archilochium vocatur,

Beatus ille qui procul.

Id si fuerit Brachycatalectum, Eupolidion nominatur. Sin vero Catalecticum, Anacreontium. Sin autem Hypercatalectum, Alcaicō dicitur. Trimetri igitur Iambici Acatalecti genera sunt quatuor. hi nunquam semipede vt Tetrametri, sed semper integro concludūtut pede, quo pene omnes Tragicæ & Comicæ scriptæ sunt, quorum prius Tragicum, de hinc Comicum, & Iambicum, post Satyri-

Satyricum habebitur. Et Tragicum quidem, cuius in versu erunt dextri Spondei, sinistri Iambi, id est disparibus pares subditi. huius exemplum,

Musæ Iouem laudate concentu bono.

Comicum autem, quod Anapæstum & Tribrachyn prædictis admiscet. vt,

Agite, quid dubitatis agiles dare nunc choros.
Iambicum autem quod ex omnibus Iambis nullo admixto subsistit, quo Iambographi maxime gaudent. vt,

Beatus ille qui procul negocijs.

Superest Satyricum, quod inter Tragicum & Comicum stylum medium est. Hæc apud Græcos metri species frequens est sub hac conditionis lege, vt non Heroas aut Reges, sed Satyros inducat, ludendi iocandique causa, quo spectatoris animus, inter tristes res Tragicas, Satyrorum iocis & lusibus relaxetur, quod Horatius his versibus testatur,

Carmine qui Tragico vilem certauit ob hircū,

Mox etiam agrestis Satyros nudauit, & asper

Incolumi grauitate iocum tentauit, eo quod

Illecebris erat, & grata nouitate morandus

Spectator.

Quod genus nostri in Atellanis habent. Gaudent autem trisyllabo pede, & maxime tribracho. exemplum huius,

Musæ Iouem laudate & agiles date choros.

Inter hæc non superfederim pauca etiam de Choricō metro dicere, quod est frequens in Tragicæ-

dijs incipit autem à dimetro, tanquam,

Non labor iam.

Quod quærit & Monometron, si vt Græci per Syzygias scandas. Eas vero sedes quas Iambus in suo possidet, has in Choricis Trocheus tenet, porrigitur autem vsque ad Trimetrum versum, tanquam,

Nunc Iouem litemus ac oremus supplices.

Recipit Spondeum è contrario Iambicis versibus. Amat autem longos in breues soluere, vt non tam spacia temporum quàm numerum duplicet syllabarum. Ideoque Trochæi seu Spondei regionibus recipiet Tribrachyn, vt,

Nemore dulcisonos cantus personat.

Admonemur hic quod apud Græcos celebratur, non prætermittere, Boiscum Cyzicenum supergressum Hexametri legem Iambicum metrum in Octametrum versum extendisse, sub huiusmodi epigrammate,

Βόϊσκος ἀπὸ Κυζίκῆ, πάντῳ γράφει ποίηματος,

Τὸν ἀκλάπαν ἐν ἑρῶν σίχον, Φοίβῳ τίθησι δῶρον. Quod si imitandum est, apud nos erit & Iambicus talis,

Beatus ille qui procul negotijs forensibus,

Curis sub vmbra frigida vitam quiete placat.

Qui constat ex duobus Tetrametris, superiore Acatalecto, sequente Catalectico, quod enorme esse manifestum est, cum vltra numerum triginta temporum egressum sit: traditum est enim colum intra decem & octo tempora esse debere, metrum autem ex duobus colis subsistere, nec prouehi

lon-

longius oportere, siquidem vnaquæq; duum pedum coniugatio octo tempora colligat, id est, aut Spondei & Anapæsti, aut Dactyli & Anapæsti, aut duum Anapæstorum. Hi sunt enim qui præter cæteros pedes in Iambicis metris, temporibus abundant, qui fit, vt tres pedes per Syzygian viginti quatuor temporibus impleantur: quartus vero qui est Catalecticus sex temporibus terminetur, scilicet vt intra triginta tempora versus habeatur. Plerique authorum nobilium id obtinuerunt, vt Iambicum Trimetrum, quod Acatalecticum nominatur, duodecim syllabis terminaretur, quod tunc euenit, quotiens è Spondeis & Iambis pedum coniugatio sociatur, at enim incurrentibus cæteris pedibus & syllabarum & temporum incrementa nascuntur, & nihilominus sunt Iambici versus constante mensura, & syllabarum quidem incrementa sic recipit, vt à duodecim syllabis ad octodecim syllabas protendatur. Temporibus autem ita versus habet incrementa, vt ab octodecim temporibus ad viginti quatuor porrigatur, nouissima etenim syllaba indifferens habetur, licet breuis sit, vt & longæ vicem præbeat. Tragici autem authores, & Comici, paulo plura & in syllabis & temporibus incrementa fecerunt, quippe cum quidam inductis Tetrametris nouitatis studio ausi sint contra præscriptum triginta temporum duo adijcere, nec quisquam vltius postea.

DE METRO TROCHAICO.

Trochaicum metrum eosdem pedes quos & Iambicum recipere manifestum est: eadem enim vtriusque progenies est, excepto dumtaxat Iambo simili inter se contrarietatis ratione, qua & Trochæi in Iambo excluduntur. Quanquam Terentianus, non pœnitendus inter ceteros artis metricæ author, sedulo refragetur. Nam secundam sedem in Trochaico versu Trimetro Acatalecto velut legitimam Iambo assignat, cum idē ab Iambico metro Trochæum excluserit. Præterea cum videret ex Trimetro Iambico adiecta prima longa per ἐπιπλοκὴν, id est, amplexionem de qua supra dictum, Trochaicum versum integrum prorogari, tanquam,

Est celer phaselus ille quem videtis.

Nam demta syllaba, Est, redit ad Iambum. Ergo Iambilocum in hoc Trochæus obtinuit: pari ratione, detracta rursus eadem, erit Iambicus. Sed & omnis Trochaicus purus, id est, ex se compositus, accepta in principio versus breui syllaba Iambicū metrum reddet. Idem & translationis syllabarum, cum initiales ad finem, vel finales ad initium versus transferūtur, efficiens, si longa in breuem feratur. At Iambus contraria serie temporum tardior, vnde ei etiam, vt quidam putant, inditum nomen est Iambo, ἀπὸ τῆς ἰέναι, id est, ire, appellato: admittit & Amphimacrum in Catalectico versu vltimum & maxime in Comicis, propter nouissimæ syllabæ

syllabæ indifferentiam. Claudum autem id metrū id est Scazon, ita fiet, si Spondeum in vltima dipodia versus Catalectici Tetrametri secundum à supremo pede posueris: nam è contrario in hoc quā in illo erunt dextri Trochæi, sinistri, si tamen admittendi sunt, Iambi, dumtaxat in Tragicis. Feritur per dipodiam, & erit exemplum Tetrametri Catalectici, quod Hipponacteum vocatur, tale,

Cerne crasse pœna quanta sit Deum fatiganti.

Non autem amat verba per Syzygias terminare. Sic enim decentius erit. Tetrametrum Brachycatalectum Trochaicum, si de solis Trochæis subsistat, ad Ionica metra, quæ ἀπὸ μέζοντος appellatur, transitum faciet, quæ Sotadia dicuntur, vt est,

Arma qui capit sub idem Martiumque tergum.
Per omnia enim loca Sotadium metrum Trochæos admittit & solutiones eius. Tetrametrū autem Catalecticum quod Archilochium & Epicharmium vocatur, præter cætera illustre, est aptum festinis narrationibus. Est enim & agitatum & volubile: veluti,

Tale, quale vere dulce sibilat teres donax.

Verum huius Tetrametri Trochaici quatuor traduntur genera hæc: Archilochium, item Tragicū, Comicum etiam, Satyricum. Volunt enim Archilochium esse, qui ex omnibus Trochæis constat: Tragicum autem quod plures Spondeos habeat, & sit elatius: Comicum vero quod solutiones habeat complures. Item,

Iuppiter tremenda sancte tela qui regis manu.

Et præcipue Dactylos & Anapæstos. Satyricum quoq; cum plurimas habeat, vt superius, solutiones, frequenter tamen Tribrachyn pedem. vt est,

Qualis aquila cita celeribus rapida pinnis trās-
volat.

Sane generale illud in huiusmodi metris præceptum tenebis, quod & supra diximus, particulas quasdam breues, veluti commata metro stare, sicut in Tragœdijs aut Comœdijs reperimus, vt Papæ, Eheu. Sunt enim monometra, id est, ex vno pede, altero iambico altero Spondeo, subsistentia, quibus affectus exprimimus animorum. Igitur Pentametros Acatalectus erit talis,

Phœbe tu lyra sonante flecte corda cum sorore
canticisque.

Tetrametrus autem,

Phœbe tu lyra sonante flecte corda cum sorore.

Qui si catalexin habuerit, Euripidium vocatur: veluti,

Phœbe tu lyra sonante iam mihi.

Dimetrus autem,

Phœbe tu lyra sonante.

Quod Angelicon vocatur. Quod si vno pede breuius quam nunc est fuerit, erit Ithyphallicum metrum, inuentum ab Archilocho, è tribus Trochæis coniunctis: vt,

Bache plaude Bache.

Quod in honorem eiusdem dei, poëtæ protulerunt.

DE

DE CHORIAMBICO METRO.

Choriambicum metrum compositum ex duobus è quibus originem trahit, etiam nominis appellatione declaratur. nam Trochæum veteres Chorium appellant. Subsistit autem nunc è puris Choriambi coniugationibus, ita,

Vror amoris stimulo, cor quatit artis pavidos.
Quod est tetrametrum Acatalectum: Nunc admixta & posita in quacunque sede Iambica basi. Cuius etiam conclusione finiri præcipue studium, vt est hoc, quod habet duas Iambicas priores coniugationes, tertium Choriambum, vltimam Iambicam clausulam, velut hoc tetrametrum Catalecticum,

Apes legunt mel ex rosa, tu labio ministras.
Recipit autem Tribrachyn, eo quòd ex Iambo vel Trochæo solutis nascitur. Raro autem Molossus, qui ex ipso formatur duabus medijs breuibus in vnam longam coniunctis, haud alias quàm supra Tribrachyn, per diuisionem longæ fieri diximus. Hoc genus Catalecticum fit, vel Bachio à breui incipiente, vel eo, qui Amphibrachus vocatur. Nā, sicut sepe diximus, nouissima indifferēs est. Quod genus si Hexametrum sit, Phrynichium de authoris Tragœdiographi nomine nuncupabitur, aptū canendis laudibus Cereris & Liberi: vt est,

Frugiferæ sacra dex, quæ colitis mystica sunt
nota Ioui potenti.

Scanditur autem per Dipodias, cuius exemplum

H 2

in tetrametro Catalectico,

O cate rerum fator, o principium deorum.
Monometrum autem Choriambicum Hypercatalectum, quod etiam Dactylico Dimetro Catalectico concurret, est tale,

O quis ad omnem

Spem cithareæ.

Igitur ut à fastigio metri ad minora decursum habeamus, erit in hoc Hexametrum Catalecticum quod Phrynichium nuncupari diximus, quodque constat ex quinque Choriambis & Bachio ultimo, ita,

Lydia dic perdere cur hunc cupias, quid retices, quid dubitas, quid hæres.

Pentametrum autem, quo frequenter Cratinus usus est, Catalecticum, sic,

Lydia dic perdere cur hunc cupias, quid retices maligna.

Tetrametrum vero,

Lydia dic perdere cur hunc cupias, quid ais?

Trimetrum etiã quod & Aphrodisiacum dicitur,

Lydia dic perdere cur hunc velis.

Dimetrumque,

Lydia dic canoro.

Huic si primam longam mutaueris, id est, si Trochæo retracto Iambum posueris, metrum Antispastum, quod est huic contrarium, figurabis, ut,

Libens Lydia dic cur.

Inuenimus plerunque & alios Choriambicos Tetrametros Catalecticos versus, in quibus omnes longæ

longæ initiales Choriamborum pedum syllabæ in duas breues diuisæ ambiguum versum efficiunt: erunt enim coniugationes de Tribracho & Iambo formatæ: tanquam,

Super agit aura mare ferens procul acatos biremis.

Hoc quoque ne præterisse ignoratione videar, attingam. Legimus apud Horatium in ea Ode, cuius initium,

Lydia dic per omnes

Hoc deos oro, legem metri admissa Spondeo minime custoditam, id est, os or. nam Iambum illic, qui Trechæum sequitur, esse conuenerat. Quod si legem metri in omni versu seruare voluisset, Hoc deos oro, posuisset, ut esset Choriambus pes habens clausulam Antibachi ultimam. Huiusmodi,

Cur properas amando.

Quod silentio dari haud passus sum. Sicut & hoc Hexametrum Catalecticum Choriambicum purum, quod Phrynichum Comicum, authorẽ eius artis tradidisse, & sui nominis appellatione signasse dicunt. Nam est tale,

Da mihi poclo Veneris mixta Thyoni gratia quod de roseo labello.

Ultra quam proceritatem Choriambicum non facile possis reperire.

DE METRO ANTISPASTO.

SCIO quosdam super Antispasti specie recipienda inter nouem prototypa dubitasse. Nam raro

admodum veteres integrum ex eo carmen, quod sit natura scabrum inter Rhythmos atque alperum, composuisse perhibentur. Verum cum idem pari cognatione, qua & inter se alij pedes de quibus supra dictum est, cum Choriambico copuletur, si quidem Antispastus duabus vtrinque breuibus duas longas in medio sitas habeat: Choriambus autem duabus vtrinque longis medias breues teneat, consentanea ratione locum eidem auctoritateque inter principalia, id est, primiformia nouem metra, ipsa parilitatis, qua inter se congruunt contemplatione, vindicandam esse dixerunt. Quid ergo super hoc in dubium primos auctores deduxerit, plenius referam. Coniugatio Antispasti, vt Iuba noster atq; alij Græcorum opinionem secuti referunt, non semper ita perseuerat, vt in principio pedis Iambus collocetur. Indifferentem enim auctores lyriçi metro Antispastico initia præstiterunt, sæpe enim pro Iambo primo aut Spondeus, aut Trochæus, aut Pyrrichius ponitur, quarum differentiarum exempla promemus. Nam si sit iuxta legem pedis ex Iambo & Trochæo initium metri, fit purum Antispasticum metrum Acatalectum, quod tamen Iambica depositione concluditur: vt,

Erat sus calydonius edax & fera belua.
Si autem Spondeus pro Iambo ponatur, fit coniugatio pro Antispasto Epitriti quarti: vt,

O qui præter agis cæruleo flumine limites.
Si vero à Trochæo fiat initium, erit ex Ditrocheo
coniu-

coniugatio: vt,

Aura purpureū per pelagus segniter ad petras.
Si autem à Pyrrichio fit coniugatio Pæonis tertij: vt,

Domus alta fuit, quæ Danaen Acrifij tegens.
Quæ commutatio plerunq; inter initia versuum fit, nec facile in medietate, nisi in eo genere versuum, quæ ἀσυνέρτηλα, id est, inconnexa sunt, reperitur. Est autem Antispasticum Monometrum Hypercatalectum, quod & Dochmiacum dicitur,

Volat præpes.

Dimetrum Brachycatalectum, quod quidam φερειχράτειον ἀτέλης vocant, Choreis cantat, trimetrū Catalecticum Anacreontium: ita,

Amor te meus o pulchra puella.

Tetrametrum Acatalectum,

Amor sydereus cor pepulit flammigero cæstro.

Pentametrum Acatalectum Alcaicum,

Rogas, non amo, sic se solet accola fago canthara comere.

Hæc de simplicibus Antispastis, quæ admixta sunt Iambicis coniugationibus Antispastica & iucundiora sunt & sonora, quod accidere etiã in Choriambicis versibus diximus, quadam Iamborum pedum quasi cõiugatione coniuncta, veluti trimetrū Catalecticum, quod solam habeat primam cõiugationem Anapæsticam, pars autem eius residua Iambico dimetro Catalectico suppleatur: vt,

Libens hoc tibi persoluo, amare nolo quenquã.
Tetrametrum Catalecticum quod habet Iambi-

cam coniugationem: vt,

Flauo crine superbit, & gaudet Aeacides iam.
Tetrametrum Brachycatalectum quod habet alternos Anapæsticos, & Dijambos pedes. Incipit autem ab Antispasto: vt,

Agebat volucres equos Maronis Amyntas.
Item ex duobus Antispastis & Iambico Dimetro Catalectico. vt,

Amorum comites sunt Venus & Cupido nobis.
Memineris sane, ne te forte confundat in quibusdā Antispastis colis numerus plurium syllabarū, nam vbi solutio longæ syllabæ fit, syllabarum quidem numerus augetur, temporum autē perseuerat. Vitat autē hoc metrum suis pedibus concludi. Nihil enim erit hac pedū clausula asperius, nihil durius.

DE METRO IONICO

ἀπὸ μέλιονος.

Ionicus à maiore, quem Musici ἀπὸ μέλιονος vocant, constat, vt supra docuimus, ex duabus longis subiectis sibi totidem breuibus: id est, ex Spondeo & Pyrrichio, vel ex Molosso nouissima eius longa in duas breues diuisa, quem merito vtraque Ionica admittunt. Ex quo intelligitur, in his Arsin & Thesis non in æqualitatis sed in dupli ratione consistere. Nam supra docuimus ea esse optima metra, quæ æqualitatis ratione constant, propter quod vtrunque hoc Ionicum, quando ex dupli ratione subsistit magis Rhythmis quàm Metris proximum est. Admittit autem solutionem duarū præcedentium

cedentium longarum, varie: nam primæ longæ solutio syllabæ facit ex Anapæsto & Pyrrichio coniugationem; secundæ vero ex Dactylo & Pyrrichio habebit copulationem, quæ sunt communes vtrisque Ionicis. Nam si tertiam longam minoris Ionici in duas breues diuidas, fit ex Pyrrichio & Anapæsto coniugatio: si autem quartam, ex Pyrrichio & Dactylo, temporibus dumtaxat in sua mensura ac spatio, quo censentur Ionici, permanētibus. Recipit, vt diximus, & hippium, id est, Molossum è tribus longis dumtaxat in fine, & appellatur metrum Cleomachium, nam si maioris Ionici duas breues in vnam contrahas longam, pari etenim lege vt longa in duas breues soluitur, ita duæ breues in vnam longam connectuntur, ergo si breues in vnam longam contrahas, eueniet vt sequētibus alijs longis duabus eiusdem pedis quinque continuæ longæ syllabæ fiant, & incertum sit, vtrum Molossum an Spondeus prior, positus habeatur. At in eo qui à minori est Ionicus, idem contrahitur. Primæ enim eius duæ breues conciliatæ Molossum facient, dehinc sequens Ionicus à breui initium sumet, ex quo fit, vt quinque longarum continuatio eiusdem interiectione lecernatur. Ergo obseruabimus pedem Molossum maiori Ionico in fine, minori autem intra initia ponere, & cauere, ne in medietate collocetur. Recipit hoc metrum Trochaicas Bases, id est, duplicem Trochaicum, qui totidem temporum est, sicut Iambica Basis, Choriambicam & Anapæsticam, quod fieri di-

cunt, sed & vocant, κατὰ συμπάθειαν. Similiter Anapaestum & Pyrrichium geminatos recipit, adæque & Tribrachyn cum Trochæo, seu contra mutato situ, sociatos dumtaxat admittit, quod fit, vt supra ostendimus, cum longæ soluuntur in breues, etiam in Trochaica coniugatione, quam familiariter suscipit, quæ coniugatio pedem tetrasyllabū Ditrochæum, id est duplicem Trochæum, quem Dichorium in Oratore Cicero noster appellat, efficit. Ionicum metrum quidam à genere hominū vocabulum accepisse existimarunt, quod in Rhythmo & satis prolixum & satis molle, sicut eiuldem gētis homines asseuerātur. Scanditur autē per Dipodias: erit igitur huius Monometrū Acatalectū

Phœbus comes.

Hypercatalectum,

Per Leucadiæ.

Dimetrum autem,

Hostem tegere est paratus.

Huius Brachycatalecton,

Veris coma florens.

Trimetrum vero Acatalectum,

Hostem tegere est paratus & stat ipse.

Huius Hypercatalectum,

Lex hæc fuit olim puerorum Stephano.

Tetrametrum autem Brachycatalectum: vt,

Hostem tegere est paratus, est & ipse nudus.

In quo vnus Ionicus, & Trochæi quinque sunt.

Huius Acatalecton,

Vuas nitidis frondibus Euhan hederis illigat.

Item

Item Catalecticum primæ syllabæ solutionē passum huiusmodi,

Mea Delia casta, pulcra, pene syderum decus.

In quo vnus Ionicus & quinque continui trochæi. Pentametrum quoque Brachycatalectum, erit tale,

Dictynna deum progenies, aspice quis te chorus astris.

Præterea & ex se sine vlla pedum admixtione componitur, & per se stat integer per συνάθειαν, vt Græci dicunt, id est cum repetita identidem vice breues longis, aut contra, breuibus longæ subiunguntur. Atque ita inter se alterna mutatione variantur. Quos ἀπὸ μείζονος & ἀπὸ ἐλάσσονος Musici vocant, vt apud Horatium,

Miserarū est neque amanti dare ludū neque dulci. Huius primordio si adijcias, O quam, erit Ionicus ἀπὸ μείζονος, adiectione Spondei: vt,

O quam miserarum est neque amanti dare ludum neque dulci.

Adæque Ionicus ἀπὸ ἐλάσσονος ex ἀπὸ μείζονος creabitur, de metris duabus longis, quæ in principio versus locatæ reperiuntur: vt est,

Galli timidi, semianimes tergora vertunt.

Ionicus autem Soradeus constat ex Spondeo & Parnambo alterna vice sine intermissione currentibus, ea tamen lege, vt à Spondeo incipiat, & Spondeo terminetur, sicut Ionicum decet, vt in longas desinat syllabas, vnde Ionicus maior, qui duabus breuibus terminatur, assumit sibi plerūque in vltimo duas longas, vt sit versus è tribus Sy-

zygijs & semipede Spondeo: ut est,
O mel quod apes omnibus è floribus libant.
Insigne est. Tale autem Ionici tetrametrum Brachycatalectum: ut,

Dic nunc, age Clio, mihi dic nobile carmen.
Id autem quod trochæum recipit Praxillium dixerunt, ut metrum Praxillæ Poëtriæ Sycionix, quod est trimetrum Brachycatalectum habens semper in secunda regione trochaicam Basin, post Ionicam primam, tanquam,

Te nunc rogo Phœbe dulce melos. Item,
Qui nunc hylares litare deam.
Incidunt autem, ut supra diximus, in hoc metro plures pedes, quibus mollius redditur frequenti syllabarum adiectione, tanquam,
Genus unde Latinum. Rogo genus unde Latinum.

Nam pro Spondeo positus est Anapæstus in primordio quidem trium syllabarum, sed tamē temporum totidem, qua conditione & tribrachus pro Trochæo plerunque admittitur, nec enim numero syllabarum metra, sed temporum spacio, examinanda sunt. Sed & dactylus nonnunquam ea lege in Sotadeum metrum cadet: ut est,

Dicite, rogo vos, dicite, quid ita rapitur Attis.
Et, quod magis mirum videri posset, totus Sotadēs versus ex Trochaicis pedibus poterit ordinari, ut duo habeat Ithyphallica metra, inserto medio Trochæo, qui est septimus, veluti,
Bache, Bache Bache Bache Bache, Bache.

Quibus

Quibus si interposueris aliquos Brachysyllabos, id est, è tribus breuibuseiusdem rationis & numeri, licet accrescentibus syllabis, temporum tamen lege seruata, versus efficietur melior, dum celerioris soni vibratione decoratur: ut est,

Bache Bromie Bache Bromie Bache Bromie
Bache. Item,

Frena capere, tela quaterere, saxa iacere disce.
Et quod fluit numeris, ut Rythmus accipitur. Dehinc quia aptum saltantibus videtur, ὑπερχωματικὸν à Græcis dicitur: sed & Ithyphallicum metrum è tribus Trochæis connexum sæpe hunc tribrachum sibi inserit: ut,

Hasta viridis armet. Item,
Placidus percipe munus.
Quod necessàrio insinuandum esse lectori censui, ne Ithyphallicum metrum è tribus semper Trochæis subsistere audacter ac temere pronuntiaret.

DE METRO IONICO

ἀπὸ ἐλάσσονος.

Ionius minor quem Musici ἀπὸ ἐλάσσονος vocāt, contrario quàm superior situ temporū, priorem habet Pariambum, sequentem Spondeum, & hoc inuicem. Ut superior sine fine currens adæque Spōdeo terminatur, ut Ionico congruit: nam semper affectant hi longis syllabis terminari, qui cum diuisus est, integris Syzygiæ ex qua constat temporibus efferatur. Quæ si velut ad Rythmum digesta decurrunt, aptior ac pulchrior habebitur.

Nam solutis longis, siue vtraq; eius, siue altera in duas breues, seu contra connexis in vnam longam duabus breuibus, vim propriæ naturæ modumq; corrumpit, atque ex se diuersa genera, speciesq; producit. Vnde plerunq; recipit in principio versus Bacium longis incipientem, & Pæonem tertium, quorum vterq; quinque temporum spacio extenditur. Catalectum autem fit Anapæsto, aut eo qui Amphibrachus vocatur. Huic cum esse sena tempora in singulis coniugationibus, vtpote Ionicorum, oporteat, necessario Trochæus aut eius Basis annectetur, ea contemplatione imminuta, vt Dipodiæ superioris tempora ex subditis compleantur. Id Græci ἐπιζευξιν, id est coniugationem vocant, eo quod priorum pedum Basin vno tempore breuiorē sequentis Syzygiæ cōpleat syllaba quæ pro breui, licet natura longa sit, vtpote prior Trochæi, accipienda est, siquidem vnus temporis supplemento Ionica basis indigere videatur, etenim huic metro Rythmica natura accidit. Huiusmodi autem inter se συζυγίας passionē siue communionē Mufici ἀνάκλασιν vocant, & metra si qua forte aduerterint talia, ἀνακλάμενα appellant, quod retrorsum inclinantur, vt in quibusdam saltationum gesticulis nostra corpora pone pandantur, sed vt exemplo doceam, erit hoc colo Anaclomenon,

Cybele rotabo crines.

Hic, ro, licet sit breuis, pro longa accipietur, Cybele ro. Nam detractum vnum tempus sequentis Syzygiæ ex initiali syllaba huic impartietur, ne fiat
prima

prima Syzygia Pentachronos, sequens Heptachronos. Igitur secundæ coniugationis prima syllaba quæ debet esse breuis, mutatur, ea lege, vt vim suæ proceritatis quartæ syllabæ breui, quæ est vltima primæ coniugationis, impartiat, & ipsa quidē breuis remanet facta vnus temporis, superiorem autem à se syllabam, quæ fuerat breuis, commerito suæ proceritatis extendit. Ac ita fit Ionicum Anaclomenon: vt est,

Paphias amor columbas.

Nam, mor, secundæ coniugationis initialis syllaba, quæ breuis natura, vtpote in Ionico à minore esse deberet, deriuato in se superioris syllabæ tempore ἀνακλάσει inter Syzygias facta, Trochaicā Basin Ionico subdidit. quæ Basis secundū vtrasq; Syzygias, id est primam & secundam, sub hac lege versabitur. At Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primæ eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigijs, qui inter Græcos huiusce artis antistes aut primus aut solus est, negat hoc vitium vt quidā asserūt Rythmicū fore, sed magis metrica ratione contingere, quod per ἐπιπλοκάς, id est metrorum inter se amplexiones, vt supra docuimus, plerunque euenit. Nam τετραδικὴ ἐπιπλοκὴ & δυαδικὴ, id est quadra & binaria amplexio, huic versui, qui Ionicus ἀνακλάμενος vocatur, diuersitatem varietatēq; fecerunt. Etenim Antispastica & Choriambica & vtraque Ionica metra de quadra amplexione subsistūt: Iambica vero & Trochaica, sicut supra docuimus, duaria. euenit autē vt Cho-

riambica & Antispastica Iambicis coniugationibus, Ionicis vero Trochaicæ, quæ sunt diuersarum amplexionum, misceantur. Vnde accidit vt confusione eorum metrorum, quæ ex diuersis amplexionibus informantur, huiusmodi inter Syzygias passio siue communio, quæ ἀνέκλασις à Musicis dicitur, merito eueniat, & varietas versui de amplexionum differentia fiat. Nam si puro Choriābo primam decutias syllabam, fit omne quod residuum est, Ionicum à minori: & rursus si Ionico à minori syllaba vna mutiletur, quod remanet Antispasticū deprehendas. Item ablata Antispastico prima syllaba Ionicum à maiori perficiet. Verum hoc tunc accidit, cum purus est Choriambicus versus. At enim contra cum interpositæ Iambicæ coniugationes reperiuntur, lex illa quadræ amplexionis infringitur, diuersique generis admixta amplexione nascitur ista varietas, vt præcedens colum cum esse sena tempora in singulis coniugationibus oporteat, pentasemum fiat, sequens vero heptasemo subsistat. Recipit autem Molossum & Anapæstū sed raro iuncto Pariatambo & Dactylum, feritur autem per dipodiam. Est itaque Dimetrum Acatalectum tale,

Viret alte coma lato.

Trimetrum vero huiusmodi,

Procerum quis Cererem non colat agris.

Tetrametrum quoque huiusmodi,

Modo quæ prona per Aemi fugit & pascua
tondet.

Tetrame-

Tetrametrum autem Catalecticum copiosum est apud Phrynichum authorem veteris Comædiæ, quod est tale,

Vocat Aetnæ super altum caput acris choreas.
Trimetrum sane Hypercatalectum non reperias purum quando in fine Antispastus occurrit, vnde ob hoc eius vitatur asperitas. Itaque hoc metrum & ex puris Ionicis, vt ostendimus, constat, & admixtis quibusdam pedibus coniugatur: hoc Græci ἐπίμικτον, nos mixtum dicimus, quo frequentius veteres quàm iuniores vsi noscuntur, cuius pauca exempla subijciam. Trimetrum autem Acatalectū inconditæ compositionis tale est,

Salamina agit æquoris procellis.

Item qui à Ditrochæo incipit,

Cæde puberes meos Sicaniæ colonos.

Item quod primam coniugationem integram habeat, sequentem autem temporum quatuor, tale est:

* Sacerdonio graduo.

Item quod inter initia facta collectione breuium pro Ionico Molossum accipit, erit tale,

Ararin sic super altum.

Plurimi autem tam Tragici quàm Comici, sed & Lyrici poëtæ huiusmodi compositionum diuersitate libere abusi sunt. Inter hæc si Tetrametri versus Catalectici, qui in huiusmodi metro habendi sunt, longas in breues soluerint, metrum efficiant Galliambicum, dictum, quasi γάλλων ἰαμβοί, id est maledicta, quibus nonnunquam conuitiantur.

Idem & metroiacon, seu, vt quidam, Bachiacon
 ἀναιελωμένον. Cuius exemplum,

Tremulos quod esse Gallis habiles putāt modos.
 Qui ex duobus colis, id est dimetro Acatalecto
 subiuncto dimetro Catalectico conexus habe-
 tur. vt est,

Segetes meum laborem. Segetes meus labor.
 Subsistit ex Pariambis admixtis Trochæis, sicut
 dictum est, alterna vice, cum longis breues aut
 breuibus longæ subijciuntur. Memineris tamen
 & Tribrachyn loco Trochæi hoc metrum, si ne-
 cessitas postularit, admittere, neq; accrescētis syl-
 labæ numerum, cum in temporibus omnis ratio
 custodiatur, officere, vt hoc Galliambicum, quod
 solutione complurium syllabarum compositū est,
 Vt, volat agiler, sunt. * * * * *

DE PÆONICO METRO.

PÆonicum metrum siue Creticum, vt quidam
 ferunt, asserentes Pæonas originem ex Cretico
 seu Amphimacro traxisse longis eius prima & su-
 prema in breues solutis, quibus Pæon primus &
 quartus creari noscuntur, quod etiam ex Bachio
 & Palimbachio adæque fit, vnde & Bachiacum à
 quibusdam hoc metrum dicitur, quidam vltimo
 loco posuerūt Proceleusmatico repudiato. Quod
 tamen magis Rythmo, id est, numero quàm metro
 congruere varietas ipsa compositionis ostendit.
 Nam recipit nonnunquam in breues solutos Am-
 phimacros, quorum etiam clausula, qua fit carmē
 eius

eius Catalectum, terminatur, adeo huic familiaris
 est, vt pleriq; hoc metrum Rythmum Creticum
 dixerint, quod cum eiusmodi sit, tamen vsus eius
 apud Lyricos sed & Tragicos & Comicos fre-
 quens est, & præcipue de Bachiacis & Creticis so-
 lutionibus. Bachiacū igitur Dirythmū, siue Dime-
 trum Acatalectum quod in quartū Pæonicū ple-
 runque solutione longæ transit, huiusmodi est,
 Amicos vocantis.

Trirythmum quoque Acatalectum, ita,
 Vt Echo sub antris canebat.

Tetrythmum etiam acatalectum tale est,
 Volabat superbus per auras Cupido.

Pentametrum vero acatalectum, huiusmodi,

Io, quis deorum per altos Lycæi gradus me.
 Obseruabis igitur singulorum differentias & tali-
 ter: Aut enim ex Pæonibus sunt temporum quin-
 que, aut ex Bachijs adæque temporum totidem,
 aut etiam ex Creticis quos Amphimacros dixi-
 mus, ne in partiendo errorem incurramus. Vbi
 enim non pedum sed numerorum ratio subsistit,
 non pedes pedibus pares restituntur, sed tempo-
 ra temporibus adæquantur. Quidam trisyllabis &
 tetrasyllabis admixtis pedibus hoc genus versu-
 um & composuerunt, & indifferenter ista compo-
 sitione vsi sunt. Nam aut Creticis aut eorum solu-
 tionibus, id est Pæonibus aut primo aut quarto
 indifferenter mixtis, carmen ædiderunt, sed &
 Bachiacis & Creticis coniugationibus adæq; vsi
 sunt, vt est hoc,

Acuta falce si virentes esculos.

Recipit autē etiā Trochæū & Pariambū cōnexos, sed & cū Iambo Pariambū in Syzygia, qua efficitur Pæon quartus, vltima scilicet Iābo longa, tribus breuibus antepositis, quem tam ex Bachio quā ex Cretico solutione longarum, id est, prima longa Cretici, & secunda Bachij, ab vltima effici cunctis in promptu est. Vnde datur intelligi eundē pedem per solutionem Cretici & Bachij communē esse vtriusque, cui par similisq; hic Rythmus, qui ex quinque continuis breuibus syllabis constat: Est enim totidem temporum, quot & Pæon pes & Bachius & Amphimacrus, tanquam,

Volat agile per aprifera modo retulit ebria cibos.

Et rursus exempla reperamus, erit Dimetrum Pæonicum Catalecticum huiusmodi,

Nunc agite cælites. Trimetrum autem,

Nunc agite, nunc tripudijis me.

Quod Phrynichium vocatur Tetrametrum,

Nunc agitata veniat manus ad hoc sacrum.

Pentametrum vero,

Tollere, fer Aeolica Musigena canticula nunc Tityro.

Hæc si nouissimos Creticos inter Dactylos subtrahas, nam & Dactylo propter nouissimæ indifferentiam metrum clauditur, Acatalecta erunt & secundum appellationem suam Syzygiarum numero concludentur. Hexametrum autem Aristophanes composuit tale, vt sint Pæones primi tres, & in

& insequantur totidem Cretici, tanquam,
Ver agere purpurea te Venus amoribus diua
pollensiubet.

Sed & hic Tetrameter Pæonicus Catalecticus, is dumtaxat, qui maxime in vsu est, ex longa & tribus breuibus ab Aristophane compositus est, totus, vt vides, ex Pæone primo, vltimo Amphimacro, syllabis quidem minor, temporum tamen totidem. Vnde & Catalectus videtur, veluti sic,

Tyberis iam placidus in maria labitur. Item,

Egregia percoluit ingenia Mus *

Fit etiam Pariambo Tribra * dem solutū
in breues Amphimacrum, tanquam,

Modo retulit Philopolemus.

Quod autem post tres Bachios postremo Pæone concluditur, metrum Bassaricum appellatur, vt est,

Abeuro sonorum quis Aetnæ per maria.

Id vero quod tribus præcedentibus Creticis Di-
iambo clauditur, fiet Rythmus concurrēs ex duo-
bus Amphimacris, & Trochaico Dimetro Cata-
lectico, quod Euripidion nominatur, tanquam,

Aureo sub toro tollit æmulas faces.

Nam ferme Tragicis carminibus Bachiaca com-
positio familiaris est.

DE METRO PROCE- leusmatico.

AMbigitur super autoritate Proceleusmatici,
qui constat ex duobus Pyrrichijs, id est qua-

tuor breuibus, an inter prototypa metra hoc quoque recipiendum, habendumque sit. Quia nec Molossicum, quod constat è tribus longis, propter nimiam similitudinem induci aut videri metrum potuit. Quidam tamen decimam huic speciẽ, post nouem prototypa, impertiendam esse, è quibus est & Philoxenus, ex eo putauerunt, quod laconicum longis constantem quindecim huic prope contrarium respondere posse conspicerent, qui tamen non ex omnibus Molossicis connectitur. Nam Spondeos inuicem miscet, vt est,

Ite o parca primores fausta nunc parcas ducentes.

Satius tamen est annecti eum copularique Comico Anapæstico, cuius cognationem in se coniunctis suis duabus vltimis breuibus demonstrat. Nam ex Dimetro Anapæstico Trimeter Proceleusmaticus figurabitur versus, longa eius in breues soluta, & syzygia in simplices pedes diuisa, vt est,

Tuba terribilem sonuit crepitem.

Præterea quod nunquam è Pyrrichio, qui duplex in proceleusmatico habetur, formata aliqua in metris species proferatur. Huius versus longissimus erit Tetrameter Catalecticus, vel si quis illud adhuc extendere affectet, Pentameter. Recipit autem prima, & secunda, & tertia sede Proceleusmaticum, quarta Tribrachyn aut Anapæstum, quibus & clauditur, scilicet detracta Proceleusmatico syllaba vltima, aut duabus breuibus vltimis in vnã longam redactis propter Anapæstum, vti metrum sit
non

non numerus. Scanditur autem per dipodiam. Exemplum erit Tetrametri Catalectici, id,

Nemus aue reticuit ager homine sonat. Item,
Peritabit aui pedis animula leporis.

Trimetri autem, id,

Agite peragite iuuenes.

Dimetri, id,

Agite iuuenes.

Hoc metro veteres Satyricos Choros modulabatur, quod Græce εἰσοδόν, ab ingressu chori Satyrici appellabant, metrumque ipsum εἰσοδόν dixerunt.




DIDASCALICVS

LIBER TERTIVS DE

coniunctis inter se & mixtis

metris Pragmaticis.

DE CVRSIS metrorum per nouem species fastigijs, elementisque principalibus, quæ Græci πρώτοισι, velut primas figuras appellando, nominarunt, scilicet artis huiusce prima, vt ita dixerim, semina, dicendum dehinc secundum ipsam disciplinæ originem consentaneum reor, quæ ex iisdem veluti fontibus deriuata ad innumerabiles metrorum species, nunc



per adiectionem, nunc detractiōem aut trāsmutationem vel concinnationem processisse videātur. Et cum non queant omnia ob immensam sui copiam comprehendere, utpote cum sint innumera- biles figuræ compositionum, seu quas prisca ætas dedit, seu quas sequens æmula imitatione excogi- tando produxit, tamen ex his quas aut frequens usus celebrat, aut potior autoritas recipiendo commendat, prout potero sollicita inuestigatio- ne comprehensa depromam: quo subinde ea quæ fallunt apud Poëtas metra præceptis disciplinæ instruendis facilius intelligantur, qua metrorum origine exorta, qua specie figurata aut situ tempo- rum digesta, aut copulatione connexa videantur. Habet enim metrorum inter seratio summam in cognoscendo voluptatem, qua & veterum sub quacunque lege tradita celeriter comprehendere, & multa ipsi æmulante studio noua concipere animo, atque informare possimus. Ita enim me- trorum, quæ ex origine nascendi è prototypis nouem profluunt inter se varietas multiformis & de præfinito veluti quorundam seminario innu- merabilis copia est: ut ille locus esse Archimedi- us è quatuordecim crustis eburneis, nunc quadra- tis, nunc triangulis, nunc ex vtraque specie varie figuratis, & velut quibusdam membris artis struē- dæ causa compositus proditur. Nam ut in illo præfinito ac determinato crustarum numero mul- tiplici earundem variata specie, nunc naues, nunc gladij, nunc arbuscula & si qua alia figurantur, ita metrorum

metrorum certo ex origine numero infra decem prototypa comprehenso multiplex admodum va- rietatis copia propagatur. Nam ut ea exercētis aut ingenium aut voluntatis arbitrium est, ita variæ ac multiformes metrorum species proferuntur. Fi- gurantur enim generalibus modis duobus, Quā- titatis & qualitatis. Specialibus autem octo: nam quantitas immutabit metrum aut per adiectionē aut per diminutionem: qualitas autem per trans- lationem, permixtionem, transfigurationem, di- uisionem, vnitatem, compositionem. Et ex heroo quidem per adiectionem syllabæ fiet ita,

Musæ mi Pierides & Clarius absit Apollo.
mi enim syllaba detracta, erit Hexameter. Per di- minutionem autem syllabæ octauæ siue nonæ ex trimetro Iambico, sic,

Beatus ille qui procul mēsisibus.
Per translationem vero verborum ex Heroo, sic,
Instimulata choris quales socrus excutit vlnas.
Fiet Tetrametrus Trochaicus ita,

In choris stimulata qualis vlnas excutit socrus.
Per diuisionem autem si proceleusmaticum in A- napæsticum metrum diuidendo sic percutias,

Id agite peragite celeriter.
Per vnitatem vero, cum Pariatibus duplex iungi- tur,

Agite iam agite cito modo mea.
Et sit proceleusmaticus. Per transfigurationē quo- que, cum Herous figuram trimetri accipit, velut,
Albani mures Albam longam cinxerunt.

Hic enim si per Dipodias percutiatur, fiet trimetrus. Sed & per mixtionē cum diuersæ Bases miscentur, ut puta Choriambica & Iambica, veluti,

Lydia dic precor libens unde velis reuerti.

Per compositionem autem si ex Heroo metro cui syllaba adiecta in nouissimo erit, quod *πανθηραμερές* vocatur, quod est tale,

Arboribusque comæ.

Adiecto metro Iambico, fiat metrum tale,

Arboribusque comæ, ut prisca gens mortalium.

Quale est in Epodo Horatij,

Scribere versiculos amore percussum graui.

Demonstratis igitur exemplis, tentabimus, procedente lectione in quantum potuerimus, omnia huius generis siue simplicia siue immixta, quæ in usum aut Græci aut Latini receperunt, subinde perdere, si prius ea, à quibus initium sumendum est, docuerimus.

DE METRIS PER *συμπάθειαν*, & *ἀντιπάθειαν* inter se coniunctis.

Dicemus igitur de mixtis ac mutua connexionē sociatis metrorum generibus, quorum bifariam ratio dispergitur: Namque alia cōsentanea & veluti cognata inter se ratione iunguntur: alia ex dissidētia contraria, quæ Græci κατὰ συμπάθειαν καὶ ἀντιπάθειαν appellant. Erunt ergo per *συμπάθειαν*, id est per consentaneū affectum mixtæ inter se iambicæ Bases

Bases Choriambicis & Antispasticis: nam quotiens copulantur, sub quacunque sede, videas veluti ex vna eadem specie id compositū metrum stare & quasi uniforme, quod *μονοειδές* Græci dicunt, procedere: adæq; & Trochaicæ Bases Ionicis pari consensione sociantur, cum Epiplocarū, quas amplexiones metrorū diximus, mutuò inter se successione variantur. Et cum non solum Trochæum & solutionē eius Tribachū, sed & Spondeū cum suis solutionibus, id est Dactylum & Anapæstum, admittat, tamen uniformia metra sentiuntur, cum ex similibus & familiaribus pedibus sit ista coniunctio. Similiter Dactylicis Anapæstica incidunt: ut,

Arma virumque cano.

Etenim adiectis duabus breuibus, ut supra ostendimus, fiet Anapæsticum per *συμπάθειαν*, sic,

Ades arma virumque cano.

Qua vicissitudine & ex Trochaicis Iambica & ex Anapæsticis Dactylicæ metra inter se formantur. Per *ἀντιπάθειαν* vero, id est per cōtrarium affectum seu passionem iungunt ea, quorum inter se contrariæ species haud facile copulantur. Est enim coniunctionis genus nimis scabrum atq; asperum, ut sunt Ionica ἀπὸ μέλλοντος cum Iambicis, vel Dactylicæ cum Trochaicis semper dissentiētia inter se atq; abhorrentia, unde & ἀσυγγήνητα, à Græcis, id est inconnexa appellantur: ut est,

Beatus ille qui vagans mente viuit integra.

Nam compositus apparet versus ex Dimetro Iambico Acatalecto, & Dimetro Trochaico Cata-

lectico ex diuersis & contrarijs amplexionibus: hi enim, etiam si genere congruunt, specie tamen discrepant. Item ex Anapæsto Acatalecto, & Iambico Dimetro Catalectico, ut est,

Age nunc comites rabidæ Cybeles vocant choros ad aras.

Intelligis igitur, atque ipso sensu abhorrentiū aurium percipis, duo metrorum cola dissidentia inter se, ita confragose atque aspercoisse in vnitatē connexionum, ut superiora lene ac liquidum nequaquam conuenisse videantur. Item si quatuor Dactylis tres Trochæos quod vocant Ithyphallicum iungas, erit *ἀσυνάεργητος*, ut est illud,

Tunc & amoris amor venit improbus aliger Cupido.

Præterea per mixtiones Colorum id est membrorum in metris quadripartita e * ex duobus Colis imperfectis conciliantur, aut duobus perfectis, aut ex perfecto & imperfecto, aut contra: id est, ex imperfecto & perfecto, quod *ἀσυνάεργητος* appellauimus metrum, quale est ex Iambico Dimetro Catalectico & Ithyphallico compositum, ita,

Iubar superne fulgida lucet arce cœli.

Aut contra, ex Trochaico Dimetro Acatalecto & Iambico Dimetro Catalectico, velut,

Cæuli monarcha ponti ratisque recitator.

In huiusmodi versibus membrorum manifesta discretio est, quæ autem ex duobus imperfectis colis, id est, membris conciliantur, vix est eorum separa-

separationem diuisionemque cognoscere, in his præcipue, quæ minimæ proceritatis cōnexa iunguntur: exempli gratia, si sit Iambicum Dimetrum Catalectum & sequatur Dactylicum dimetrum Brachycatalectum ita,

Dicata est vario

Cum sit traditum colum ita demum iustæ proceritatis accipi, si decem & octo temporibus suppletur. Cum autem nec coli mensuram breuitas ista conficiat, quantum à perfecti versus mensura discordet, utique manifestum est, cum colum portio versus esse tradatur. Sunt item quæ primam Trochaicam, secundam Choriambicam, tertiam Trochaicam, sed & quartam syllaba breuiorem coniugationem habeant, quorum exempla plerunque apud Comicos Diphili & Menandri Comædijs reperiuntur. Verum hæc hæctenus noscenda sunt, ne quid per imperitiam præterijisse videamur; alioquin & vitanda & respuenda sunt. Nam profecto Poëtæ leuia & sonora sectanda sunt, quæ autem fragosa & aspera, discendi causa, non ut imitentur sed ut vitentur, noscenda sunt. Quorum, sicut & aliorum complurium, author & parens fertur Archilochus singularis artificij in excogitandis ac formandis nouis metris, qui primus Epodos excitauit alios breuiore, alios longiore, detrahens vnum pedem seu colum metro, ut illi subijceret id quod ex ipso detractum esse videbatur: ut in Hero à quo primum cœpit, tanquam,

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis.

Dehinc Epodus sui generis,

Arboribusque comæ.

Et illud cum Heroi versus secūdo colo, Ithyphalico Epodo par ἀντιπρόθετα respondet, vt,

Priamiq; euertere gentem fata iam parabant.

Et multa alia, quæ in processu operis demonstrabimus. Omnia enim ex Dactylo & Iambo principalibus orta noscuntur. Nam quęcunq; protuleris ex his profluere fontibus, & ad hæc referri, veluti semina, examinando reperies. Hæc enim sola duo metra, quamuis & Iambicum Heroi sit traductiuum, vtpote cum trimeter de Hexametro mansisse noscatur, hæc sola possunt Prototyporum Prototypadici, & omnium metrorum elementa. Reliqua autem horum ἀποκλήματα, quorum modos, in quantum colligi potuerunt, studio si lectoris auribus intimabo.

DE SVMMA NVMERI QVÆ
metrorum multiplicatione
redigitur.

NAm cum metrorum principalium, quæ catholice excepto Rythmo Pæonico recipienda sunt, octo genera censeantur, si quis ea octies multiplicet, octona metra octies multiplicata efficiunt differentias LXIIII. & vt exemplo id apertius clareat, si quis Iambicum Iambico coniugat, aut Trochaico & deinceps cæteris, id est, Dactylico, Anapæstico, Choriambico, Antispaslo, & Ionicis duobus, fient harum permixtionum differentia

rentiæ octo. Pari ratione si sit Trochaicum cæteris metris, vt supra de Iambico diximus, coniugatū, fient alię differentia octo, ac deinceps si per omnia pedum genera similiter fiat ista cōiugationis multiplicatio, non dubie clarum erit effici differentias LXIIII. in omni octo metrorum principalium summa, cuius rei edocendæ gratia etiam quędam sui generis exempla proponam. Nam si ex duobus Iambicis quæ πενθημιμερῆ vocātur, versus vnus formetur, fiet Saphicum huiusmodi,

Meat per æquor Ionia proles.

Item si ex duobus Iambicis Dimetris Catalecticis fiat permixtio, fit metrum quod Aeschrionion dicitur, vt est,

Amore me subegit & igneo furore.

Similiter duo Dactylica si coniungas πενθημιμερῆ, fit Elegium tale,

Lactea sanguineis lilia mista rosis.

Vel si Anapæstica ἐφθημιμερῆ copulentur, fiet metrū quod παρομιαικόν appellatur, veluti,

Sed Iapygia vada Ponti victi prope littoris
actas.

Item ex duobus Trochæis, quæ ἐφθημιμερῆ nuncupamus, fit metrum Euripidion, quod est tale,

Phœbe carminū potens, cum sorore sis fauens.
Sed & multa alia per singula metrorum genera, quæ persequi satis prolixum esset, sub huiusmodi connexionione miscentur. Verum hæc coniuncta ἀσυνόρητα, non composita nominantur, ita perfecta sunt, vt facile sit vnamquanq; partē coli

determinatione assequi, cuius sit aut proceritatis aut generis. Illa autem quæ Græci *συγκεχυμένα & ἀπεμφαίνοντα*, quæ nos confusa & immanifesta dicimus, non tam perspicua & aperta sunt. Iccirco quod non tantum ex differentia diuersorum metrorum coniugantur, verum ex eo quod breuia & non perfectæ proceritatis in hoc genere versuum cola, quæ nos membradicimus, sociantur. Nam ferme à monometro Brachycatalecto initium sumunt, & non ultra Dimetrum Hypercatalectum crescunt: vnde intelligi datur per singula metra, quæ octo sunt numero, totidem incrementa differentiarum reperiri, id est, octona in generibus singulis, ita: aut enim monometrum est Brachycatalectum, aut monometrum Catalecticum, aut monometrum Hypercatalectum, rursus aut Dimetrum est Brachycatalectum, aut Dimetrum Catalecticum, aut Dimetrum Acatalectum, aut Dimetrum Hypercatalectum, quorum exempla in Dactylico, quod est in coniunctis magis cognitum, ostendam. Est itaque monometrum Dactylicum Brachycatalectum, *φεῦ*. Catalecticum autem addita syllaba breui, *φεῦγ*. Acatalectum vero monometrum pes integer Dactylus, *φεύγετε*. Hypercatalectum autem, si pedem Dactylum vna syllaba breuis excedat, vt est *φεύγετέ με*. Item Dimetrum Brachycatalectum fit, si pedem Dactylum vna longa excedat syllaba, vt *φεύγετε δή*. Catalecticum si pedem Dactylum vna longa & vna breuis excedat, vt est *φεύγετε δή με*. Acatalectum autem si duo Dactyli copulentur.

pulentur, vt est *φεύγετε φεύγετε*. Hypercatalectum vero Dimetrum si præter duos Dactylos vna breuis abundauerit, vt, *φεύγετε φεύγετέ με*. Quæ varietas facit differentias octo. quod etiam in cæteris septem metris accipiendum est, iuxta quod fient differentiarum octies octonæ, quæ comprehendunt numerum differentiarum L XIII. Verum hæc si singula sint nullis eis congregatis, vt & de superioribus diximus, manifesta essent. At cum inter se similia aut disparia nectuntur, tunc ex ipsa breuitatis conclusione obscuritas nascitur, vnde *συγκεχυμένα & ἀπεμφαίνοντα* à Græcis, à nobis confusa & immanifesta appellata sunt. fiunt itaque per has coniunctiones, de his L XIII. differentiis, vt maiores nostri in hac arte sublimes tradiderunt, species differentiarum quatuor millia XCVI. scilicet multiplicatis inter se colis prototyporum. Itaque canon est dactylici in exemplum reliquorum septem metrorum, qui est, vt cæteri, æque octo differentiarum, ita: Nam aut Dactylicum monometrum Brachycatalectum, Dactylico monometro Brachycatalecto copulatur, aut idem Brachycatalectum Catalectico, aut Acatalecto aut Hypercatalecto, & rursus idem Brachycatalectum Dactylicum dimetro Brachycatalecto, aut Dimetro Catalectico, aut Dimetro Acatalecto, aut dimetro Hypercatalecto sociatur: quæ sunt commutationes octo canonis vnus. Igitur eo pacto quo monometrum Brachycatalectum percurrens octo canonas, vt ostendimus, fecit differentias L XIII, ita & mo-

nometrum Dactylicum Catalecticum & Acatalectum & Hypercatalectum cum suum tæterosq; canonas non tam per monometrum quàm dimetrum singula metra percurrerint, proculdubio octies sexagenæ quaternæ differentiæ colligētur. Ex quibus efficitur numerus differentiarum in vnaquaq; metri specie quingentarum XII. Si ergo vnus canonicus hæc summa de differentiarū multiplicatione colligitur, manifestum apud omnes erit IIII. canonum, id est metrorum principalium multiplicationibus octies quingenta XII. differentias fieri, quæ, in summam maioris numeri reductæ, efficiunt differentiarum quibus ἀσυνάρτηται, id est inconnexa colliguntur quatuor milia XCVI. genera, quæ per metrorum clausulas mutua eandem alternatione efficiuntur.

QUOT EX DACTYLICO

Heroo metrorum genera deriuantur, & de versu Pentametro.

Considerantibus nobis, quot ex dactylico Heroo per singulos prototyporum Canones metrorum species procreantur, manifesta ratione reperio primam eius veluti sobolem à pentametro versu cœpisse, vnde consequenti ratione initium suscepti operis ab eodem ordinemus, quod metrum τεσσαρεσκαιδεκάσύλλαβον σαπφικόν & αἰολικόν dicitur, quod inuenisse fertur Callinous Ephesus: alij vero Archilochum eius authorem tradiderunt: quidam Colophonium quendam, super quorum

quorum opinione apud Grammaticos magna dissensio est. Is autem versus à duodecim syllabis in quatuordecim crescit, nam compositus est de hexametro, ita vt de tertio pede partem orationis cōplente semipes tollatur, quem Spondeum esse debere in dubium non venit. Itemq; ex vltimo pede adæque postrema syllaba retrahatur, vt est,

Mars pater hæc pateris, quæ nos quoque posse negamus.

Huius Penthemimeris,

Mars pater hæc pateris. Dehinc,

Quæ nos quoque posse negamus.

Minor itaq; hexametro vel tribus vel duabus syllabis est: tribus, quotiens in hexametro dactylus inuenitur: duabus vero, quotiens Spōdeus. Optimus autem est, quotiens duos nouissimos Anapestos habet, qui fiunt ita, si duo ante vltimum hexametri versus pedem dactyli sunt, vt est ille,

Mars pater hæc pateris, quæ nos quoque posse negamus.

Huic si quarti pedis primam syllabam detrahas & nouissimi vltimam, fiet versus, claudentibus cum Anapæstis, talis,

Mars pater hæc pateris quæ quoque posse negam. Item,

Barbarico postes auro spolijsque superbi.

Pentameter,

Barbarico postes aur spolijsque super.

Sed & ille perspicuus Pentameter habebitur versus, qui post duos pedes primos semipede, qui

supereft ad *πενθημιμερῆ* tomen, verbum finit vnde Pentametri versus erit prima species, quæ de Hexametri versus tome (quam *πενθημιμερῆ* diximus) geminata conficitur, quæ tunc contingit, si Hexameter duos dactylos habuerit, vtpote,

Primus Erichthonius.

In hac enim clausa Heroi Hexametri dactylos duos esse & semipedem necesse est, qui repetiti Pentametrum Elegiacum, qui Hexametro subijcitur in Poëmaticis, efficiunt. In quibus etiam ordo præposterus, nec metro nec sententiæ oberit, velut,

Bella per Emathios, Musa moneto, cano.

Dehinc,

Musa moneto cano, Bella per Emathios.

Hi primi pedes vsque ad Tomen in Elegio versus *χινηταὶ* vocantur, quod eos transferre in secundam clausulam, & ex eorum geminatione versum implere possumus: ex quo etiam genus propriæ versificationis inducitur, & appellatur Trimetrum penthemimeres, nam prima versus Heroi portio tertio repetita (veluti,

Arma virumque cano. Musa mihi causas. Urbs antiqua fuit.)

metrum sui generis facit. Huius incisioni, qua syllaba clauditur, si alteras duas adijcias, vt tertium pedem Trisyllabo compleas, erit hoc Penthemimeres Trimetron *δεξιόν*. Nihil autem intererit, si pes tertius in isto versu longa syllaba, quæ est finalis *ἀδάφορ*, finiatur, & fiat *ἀμφίμακρ*, veluti,

Arma virumque cano Troiæ.

Sane quia superius *δεξιόν μέτρον* diximus, quanquam id & in prototypis ostenderimus, tamen scias inter dextros ac sinistros versus hanc haberi differentiam, vt dextri sint, qui in tertia vel quinta fede trisyllabon habuerint pedem: sinistri autem qui dissyllabum in secunda vel quarta regione. verum huius generis, vt supra cœperam dicere, quod ex Penthemimere geminato conficitur, species sunt tres: Prima cum præcedit Spondeus, sequitur Dactylus, item Spondeus, vltimis Anapæstis duobus versum cludentibus, & hæc, vt superius, geminata efferri non possunt: vt,

Postquam res Asiæ. Desine Menalios.

Huic si nouissimam longam detrahas, vt iam non Anapæstus sed Iambus vel alius bisyllabus ponatur, metrum Asclepiadeum efficiet, quod duodecim syllabis subsistit: vt,

Postquam res Asiæ, Desine Menali. Item,

Quam sæuis trepident Carbasa flatibus.

Qui constat ex Spondeo, duobus Choriambis, vltimo Iambo. quod etiam prima adempta syllaba Anacreontion dabit, sic,

Sæuis trepidant carbasa flatibus.

Seu metrum Ionicum claudente Dactylo. Altera vero species, ita, cum tres sunt Spondei, Anapæsti duo, tanquam,

O fortunatus desine Menalios.

Tertia autem, cum primus est Dactylus, sequentibus duobus Spondeis, Anapæstis duobus in clausula positus: vt,

Sane

K 3

Crispe Iugurthinæ conditor historiæ.
Memento sane nonnunquam in his & quintū tri-
brachyn reperiri. Sed iam dictum est de syllaba fi-
nali, vnde eam, vt velis, accipe, veluti,

Tiphys & Automedon dicar amoris ego.
Notandi sane & huiusmodi versus, qui Hexame-
tro & Pentametro versui per adiectionem & de-
tractionem quemadmodum syllabæ, communes
sunt, tanquam,

Et genitor diuum quos terminat Oceanus.
Hic enim accepta vltimo, que, syllaba, hexametrum
facit, sic,

Et genitor diuum quos terminat Oceanusque.
Ac si vna syllaba media post duos pedes & semi-
pedem detrahatur, erit Pentameter, ita,

Et genitor diuum terminat Oceanus.
Semipede enim ab hexametro minor, à Pentame-
tro maior est, qui à Græcis inter quadratorum ver-
suum genera numeratur. In scandendo autem pen-
tametro nonnulli dissentiunt: quidam enim eum
in duo diuidunt cola, & percussis vtriusque partis
binis pedibus, semipedes, qui supersunt, coniun-
gunt, & ex his Spondeum quintum versui anne-
ctunt, tanquam,

Nil mihi rescribas, attamen ipse veni. Sic,
Nil mihi rescri, attamen ipse ve, ni, bas.
Hoc eo studio, ne Anapæstum pedem, quem Hexa-
meter Herous excludit, Pentametro miscerent.
Alij vero Spondeo tertium locum vt proprium
defendunt, qui ex semipede superioris clausulæ &
prima

prima longa incipientis Dactyli annexa gigni-
tur, supererunt residuæ breues dactyli duæ, his
adiuncta longa efficiet Anapæstum quarto loco,
supersunt tres syllabæ quarum duæ breues, vtpo-
te supremæ dactyli, his copulata finalis tertia pe-
dem Anapæstum complebit, nec interest, brevis
an longa sit, vtpote in vltimo constituta: Huius
exemplum,

Nunc tu Pieridum deseris Aoniam.
Observabis autem, ne nouissima syllaba prioris
coli, quæ post duos pedes semipes residet brevis
sit, ne pro Spondeo tertius Iambus obrepat, qui
huius legis rationem subruat, quamuis quidam,
quod ex geminatione videatur versus iste subsiste-
re, non sunt deterriti, quin breui syllaba prius co-
lon concluderent, affirmantes, nihil interesse cu-
iusmodi in fine sit syllaba, id quæ ipsum iuris ac legis
commata retinere voluerunt, quod in omni me-
tro, & in quocunq; versu catholice præceptum est.
His subditis, vt dictum est, hexametris elegiacum
metrum reddunt, dictum ex eo, quod mœrori re-
busque tristibus modus eorum aptior esse videa-
tur, ἀπὸ τῆς ἐλεεινῆς. alij vero παρὰ τὸ εὖ λέγειν elegos di-
ctos arbitrantur.

DE GENERIBVS METRORVM quæ à Pentametro profluunt.

CHoerilium seu Diphilium metrum ex eodem
Pentametri ortum esse genere res ipsa indi-
cat, est enim è Dactylica specie deriuatum, su-

prema tantum versus syllaba, qui sex pedibus profuat, breuius. Incipit autem à duobus Dactylis, tertia regione Spondeo semper manente, & rursus ex duobus Dactylis & syllaba vna. Huic duo cola, quæ Penthemimere diximus, accrescente media syllaba, qua Spondeus gignitur, formam dedisse noscuntur, qua detracta ad Elegiacum Pentameterum versus reuertetur: veluti,

Nunc age Pierios versus dea Calliope. Item,
Incipe Menalios mecum mea Melpomene.

Choerilium autem ἀμφικλιπὲς dicitur, quod initio & fine imminutum est, vt,

Tibi namq; decens, lucet rosa vertice.

Hoc quoque ex eodem pentametri versus genere profuit, quod Aeolicum seu Saphicum metrum nominant à Sapho vate doctissima inuentum.

Huius primæ in versu duæ syllabæ indifferenter nunc longe, nunc breues, nunc dispares solent poni, id est, quilibet pes è dissyllabis quatuor, subiectis per ordinem vsque ad finem versus quatuor Dactylis, tanquam,

Maro me docuit iuga Pieridum sequi. Item,

Cordi laurea virginitas mihi cum foret.

Nisi si Catalecticus versus emerferit, scilicet vt dissyllabo vltimo quàm Dactylo terminetur. Hoc quoque cognatum Aeolico generi metrum esse in dubium non venit, quod primo Spondeo & Dactylis quatuor subsistit, nisi quod huic interdum vltimus Creticus est, vt,

Auræ vis venit Alpibus aëria niue.

Cui

Cui ad implendum Hexametrum Spondeus vnus deest. Huic quoq; si octauam syllabam à primordio versus auferas, fiet Elegion, quod *δελειγμένον* Elegion appellatur, quasi vnus interiectu syllabæ distinctum, vt,

Alma parens genitrix diuum decus Oceano.
Cui si syllabam adijcias, fiet Herous, ita, vt,

Alma parens genitrix diuū decus oceano lux.
Si autem octauum à medietate auferas, erit Elegion, vt,

Alma parens genitrix, tu decus Oceano.
Traditur etiam Elegius Scazon talis, vt primum colum, id est, Penthemimeres integrum habeat: secundo vero contra legem suam non vna, sed duabus syllabis terminante, vt,

Nil mihi rescribas.

Primum colon: Secundum,

Attamen ipse veni. Scazon,

Attamen vt veniatis.

Affectat enim secundum ab vltimo pede Trochæum inducere. His Logaoediaci metri speciem, quæ & Enoplius & Archebulius dicitur, non absurde coniunxerim adæque dactylici metri sobolē, scilicet cum Trochaica basi versus clauditur duobus vel tribus vel quatuor Dactylis præiutibus, prout carminis mensura aut ratio exegerit: cuius generis est etiam hoc, quod ex duobus Dactylis & duobus connectitur Trochæis, & appellatur Alcaicū Decasyllabum, vt est,

Laurea nycteleo corona.

K 5

prema tantum versus syllaba, qui sex pedibus profluit, breuius. Incipit autem à duobus Dactylis, tertia regione Spondeo semper manente, & rursus ex duobus Dactylis & syllaba vna. Huic duo cola, quæ Penthemimere diximus, accrescente media syllaba, qua Spondeus gignitur, formam dedisse noscuntur, qua detracta ad Elegiacum Pentametrum versus reuertetur: veluti,

Nunc age Pierios versus dea Calliope. Item,
Incipe Menalios mecum mea Melpomene.

Choerilium autem ἀμφιλιπὲς dicitur, quod initio & fine imminutum est, vt,

Tibi namq; decens, lucet rosa vertice.

Hoc quoque ex eodem pentametri versus genere profluit, quod Aeolicum seu Saphicum metrum nominant à Sapho vate doctissima inuentum. Huius primæ in versu duæ syllabæ indifferenter nunc longæ, nunc breues, nunc dispares solent poni, id est, quilibet pes è dissyllabis quatuor, subiectis per ordinem vsque ad finem versus quatuor Dactylis, tanquam,

Maro me docuit iuga Pieridum sequi. Item,
Cordi laurea virginitas mihi cum foret.

Nisi si Catalecticus versus emerferit, scilicet vt dissyllabo vltimo quàm Dactylo terminetur. Hoc quoque cognatum Aeolico generi metrum esse in dubium non venit, quod primo Spondeo & Dactylis quatuor subsistit, nisi quod huic interdum vltimus Creticus est, vt,

Auræ vis venit Alpibus aëria niue.

Cui

Cui ad implendum Hexametrum Spondeus vnus deest. Huic quoq; si octauam syllabam à primordio versus auferas, fiet Elegion, quod *δυσινυμένον* Elegion appellatur, quasi vnus interiectu syllabæ distinctum, vt,

Alma parens genitrix diuum decus Oceano.

Cui si syllabam adijcias, fiet Herous, ita, vt,

Alma parens genitrix diuū decus oceano lux.
Si autem octauum à medietate auferas, erit Elegion, vt,

Alma parens genitrix, tu decus Oceano.

Traditur etiam Elegius Scazon talis, vt primum colum, id est, Penthemimeres integrum habeat: secundo vero contra legem suam non vna, sed duabus syllabis terminante, vt,

Nil mihi rescribas.

Primum colon: Secundum,

Attamen ipse veni. Scazon,

Attamen vt veniatis.

Affectat enim secundum ab vltimo pede Trochæum inducere. His Logaoediaci metri speciem, quæ & Enoplius & Archebulius dicitur, non absurde coniunxerim adæque dactylici metri sobolē, scilicet cum Trochaica basi versus clauditur duobus vel tribus vel quatuor Dactylis præeuntibus, prout carminis mensura aut ratio exegerit: cuius generis est etiam hoc, quod ex duobus Dactylis & duobus connectitur Trochæis, & appellatur Alcaicū Decasyllabum, vt est,

Laurea nycteleo corona.

K 5

Item è tribus Dactylis & duobus Trochæis, vt,

Quadrupedante venit pede primus eques.

Rursus è quatuor & duobus Trochæis, vt,

Romulide pedites Arabum populis amici.

Quæ species & in Anapæstico versu reperietur, ita dumtaxat, vt postrema eius clausula Bacio à breui incipiente terminetur, & pro Anapæsto nonnunquam Spondeus ponatur. Duobus autē Spondeis plerunque, vt in Heroo Hexametro reperiemus, si metrum claudatur, Spondaizon versus, vt in primo libro dictum est, appellabitur. Spondaicus enim vt Trochaicus & Iambicus ex omnibus Spondeis subsistit, cui si Molossium vltimum adieceris, fiet Laconicum metrum è quindecim longis, ita,

Hispani duri desciscunt à Romanis victores.

Nec minus è pentametro versu Anapæsticus figurabitur, vtpote, cum ex Dactylo, Spondeo & Anapæsto subsistat, adiecto in qualibet sede versus sui generis pede, siue dipodia, quo fiat Tragicus seu Comicus: vt,

Tiphys & Automedon dicar amore potens.

Vides Pentametrum Elegiacum, adiecto, mea lux, erit trimeter Anapæsticus, in quo prima basis ex duobus dactylis, secunda è Spondeo & Anapæsto, tertia è duobus Anapæstis subsistit: ita,

Tiphys & Automedon dicar amore potens
mea lux.

DE

DE ENUNTIATIONE Pentametri Elegiaci.

Hoc quoque notandum in enuntiatione Pentametri Elegiaci, nam plerunque aurem fallit, vt in illo Græco versu,

ἡμεῖς δ' εἰς ἐλλήσποντον ἀπεπλέομεν. Nam si coniunctū ἐλλήσποντον enūtiarimus, effugerit aurium sensum, vt nequaquam versus esse credatur. At si per Hemistichium pronuntiemus, ipsa subdistinctione genus metri declarabimus ita, *ἡμεῖς δ' εἰς ἐλλήσ-* dehinc *πόντον ἀπεπλέομεν.* Vnde Pentametrus duobus pedibus & semipede colon terminare debet, vt qui audierit, antequā percutiat versum intelligat, velut,

Labitur hinc Helle, spontus in Oceanū. Item,

Venerunt inter, lunia sancta polo.

Nam si per se dicas, inter, & per se, lunia, media subdistinctione interposita, recipiet formam Elegiaci. Hinc proculdubio intelligi datur pro sam numeris subsistere. Nā & Aristoteles homo sublimis ingenij præcipit, numeros esse in oratione oportere, ita tamen ne versus incurrant, qui sæpe imprudentibus subrepunt, quia & Cicero in oratore suo de euitatione versus tangit, ipsa quoque lyrica poemata sublata modulatione vocis non vltra solutam orationem procurrunt. Quocirca putant nonnulli durio rem legem oratoribus fore quā poëtis: nam vt nihil scribere possumus, quod extra numerū litterarū cadat, sic ne loqui quidē, aut verbum vllum emittere, quod non in pedes

Item è tribus Dactylis & duobus Trochæis, vt,
 Quadrupedante venit pede primus eques.

Rurfus è quatuor & duobus Trochæis, vt,

Romulide pedites Arabum populis amici.

Quæ species & in Anapæstico versu reperietur, ita dumtaxat, vt postrema eius clausula Bachio à breui incipiente terminetur, & pro Anapæsto nonnunquam Spondeus ponatur. Duobus autè Spondeis plerunque, vt in Heroo Hexametro reperiemus, si metrum claudatur, Spondaizon versus, vt in primo libro dictum est, appellabitur. Spondaicus enim vt Trochaicus & Iambicus ex omnibus Spondeis subsistit, cui si Molossium vltimum adieceris, fiet Laconicum metrum è quindecim longis, ita,

Hispani duri desciscunt à Romanis victores.

Nec minus è pentametro versu Anapæsticus figurabitur, vtpote, cum ex Dactylo, Spondeo & Anapæsto subsistat, adiecto in qualibet sede versus sui generis pede, siue dipodia, quo fiat Tragicus seu Comicus: vt,

Tiphys & Automedon dicar amore potens.

Vides Pentametrum Elegiacum, adiecto, mea lux, erit trimeter Anapæsticus, in quo prima basis ex duobus dactylis, secunda è Spondeo & Anapæsto, tertia è duobus Anapæstis subsistit: ita,

Tiphys & Automedon dicar amore potens
 mea lux.

DE

DE ENUNTIATIONE Pentametri Elegiaci.

Hoc quoque notandum in enuntiatione Pentametri Elegiaci, nam plerunque aurem fallit, vt in illo Græco versu,

ἡμεῖς δ' εἰς ἐλλήσποντον ἀπεπλέομεν. Nam si coniectū ἐλλήσποντον enūtiarimus, effugerit aurium sensum, vt nequaquam versus esse credatur. At si per Hemistichium pronuntiemus, ipsa subdistinctione genus metri declarabimus ita, *ἡμεῖς δ' εἰς ἐλλήσποντον ἀπεπλέομεν.* Vnde Pentametrus duobus pedibus & semipede colon terminare debet, vt qui audierit, antequā percutiat versum intelligat, velut,

Labitur hinc Helle, spontus in Oceanū. Item,
 Venerunt inter, lunia sancta polo.

Nam si per se dicas, inter, & per se, lunia, media subdistinctione interposita, recipiet formam Elegiaci. Hinc proculdubio intelligi datur prosam numeris subsistere. Nā & Aristoteles homo sublimis ingenij præcipit, numeros esse in oratione oportere, ita tamen ne versum incurrant, qui sæpe imprudentibus subrepunt, quia & Cicero in oratore suo de euitatione versuum tangit, ipsa quoq; lyrica poëmata sublata modulatione vocis non vltra solutam orationem procurrunt. Quocirca putant nonnulli duriolem legem oratoribus fore quā poëtis: nam vt nihil scribere possumus, quod extra numerū litterarū cadat, sic ne loqui quidē, aut verbum vllum emittere, quod non in pedes

aliquos & in Rythmos incidat, quia legitima syllabarum sublatione & positione continetur.

DE RECIPROCIS VERSIBVS.

Operæ precium est inter hæc & de reciprocis versibus, vt omnifariam artis Metricæ disciplinis & gratia hoc opusculum instruamus, quantæ sint venustatis, & quot eorum species inuestigauerim, dicere, qui retrorsum dum leguntur longe aliud metrum ex se procreant, vt est hic Elegus,

Esse bonus si vis cole diuos optime Pansa,

Omne fœlici Pansa precare Deos.

Ex his superior Herous in Sotadium recurrit, sic,

Pansa optime diuos cole si vis bonus esse. Item,

Ecce tumet gemmis tua vitis optime Bache.

Sotadium dabit tale,

Bache optime gemmis tua vitis tumet ecce.

Alter qui est Pentametrus in Iambicum trimetrum redit, sic,

Deos precare Pansa fœlici omne.

Iambicum est item aliud genus, quod in eandem mensuram reuertitur, vt vtrunque legentibus Herous fit, neque, vt superiores, genus metri mutet, quales apud Virgilium reperiuntur,

Musa mihi causas memora quo numine læso.

Item,

Ipse dedit Mœris, nascuntur plurima Ponto.

Aeque enim & in reuersu lectionis suæ Heroum custodiunt metrum: sic,

Læso numine quo memora causas mihi Musa.

Ponto

Ponto plurima nascuntur, Mœris dedit ipse. Est etiam aliud reciproci genus, quod non per singulos versus redit, sed per totum Elegum: tanquam,

Icarium notus vt confidens flamine tranat,

Cærule verrentes sic freta Nereides.

Si reuoluas, Elegus erit eodem modo,

Nereides freta sic verrentes Cærule, tranat

Flamine confidens vt notus Icarium.

Ita medium verbum, tranat, alteri detractum & alteri additum, variata vice pentametrum facit de Hexametro, & hexametrum de Pentametro.

DE TETRAMETRO VERSV.

Sed vt ad propositum versus hexametri ordinem redeam, decurso pentametro Heroo, consequens est Tetrametrum eius inducere, quem Archilochus diuulsum ab Hexametro Heroo ad Epodum conuertens satis acceptam auribus rem commentus est. Idem etiam iungendo inter se diuersa, noua metra composuit, quæ Græci σύνθετα & ἀσύνθετα appellant. ἀσύνθετα quæ eiusdem sunt generis: σύνθετα vero quæ ex diuerso copulantur. Ergo tetrameter siue versus siue Hexametri Heroi tunc tertia: nam post duas incisiones eius proprias, id est, Penthemimerem & Hephthemimerem, tertia est ea, quæ βουκολικὴν appellant: quæ quarto pede semper sensum claudente distinguitur, ideoque à Græcis sic appellatur, quod Bucolici carminis hæc lex sit, vt versus eius ea obseruatione formetur, vt ante duos ultimos

quarto pede terminet, aut partem orationis aut sensum, quam legem per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus exceptis tribus, aut quatuor ferme versibus (è quibus sunt,

Ἀμφῶϊς, νεοτευχῆς, ἐτιγλυφάνοιο ποτόσδον. Et, τοῖςδε μεταγριπύς τε γέρον κῆ πῆτρα τέτυκται.)

custodit. At noster Maro haud ita, quod vtrum scrupulosum an superuacuum duxerit, ipse norit, quod Græci sanxerunt, ne pars orationis, aut sermo integer, vilo verbi discidio interueniente seiungeretur, tanquam,

Forte sub arguta confederat: Tetrametrus. Sequitur,

Ilice Daphnis.

Hoc comma Dimetrū Epicum nuncuparūt. Item,

O crudelis Alexi nihil mea Dehinc,
Carmina curas.

Vnde intelligi datur, Bucolicum carmen seu metrum, ex Tetrametri versus copulatione, subsistere. Igitur hi Tetrametri Heroe hexametro subnexasitam admodum Epodum carminibus dabant, vt apud Horatium,

Nil desperandum Teucro duce & auspice Teucro. Dehinc,

Certus enim promisit Apollo.

Quæ dactylo pede clausa Alcmanicum, Spondeo autem Archilochium metrū efficiet. Huic si duos pedes Heroi hexametri præposueris velut, in medio mihi, erit ex tetrametro hexameter talis,

In medio mihi certus enim promisit Apollo.

Hi

Hi tetrametri Tragicis Choris à plerisq; miscētur, & continuati nonnunquam Choros explicant, vt apud Pomponium reperimus,

Pendeat ex humeris dulcis chelys,

Et numeros edat varios, quibus

Affonet omne virens late nemus.

His quoq; si ad extimum adijcias binos pedes, integrū hexametrum de mutilo efficies: hoc modo,

Pendeat ex humeris dulcis chelys apta choreis.

Et numeros edat varios, quibus ecce propinquum

Affonet omne virens late nemus, aruaq; iuxta.

Ex his igitur colis seu dimetris, æquis duobus pedibus, prior Dactylus semper est, sequens Spondeus. Rursum Tetrametro heroo, in quo quatuor tantum Dactyli, si subijcias tres Iambos eo more, quo tres Trochæi Phalæcio copulantur, metrum Sotericum efficies, ita,

At tuba terribilem sonitum procul.

Dehinc Iambi, [furore cōgruo. Rursum eius quod

metrum vocatur *διμοιρον ἑπικόν*, eo quod duos pedes

Heroo tantum recipiat, Dactylum, Spondeum,

Sapho dicitur carmen composuisse continuum

numerum per syllabarum. Huius exemplum,

Primus ab oris

Troius Heros

Perdita flammis

Pergama linquens

Exul in altum

Vela resoluit.

Qui dimetri etiam inter Epodos recipiuntur.
Ut apud Horatium in secunda ode, cuius initium est,

Iam satis terris niuis atque diræ.

Vltima coli clausula.

Terruit orbem.

Vides subiectum dimetrum metro Saphico Hendecasyllabo & per ordinem eiusdem asmetis similes clausulas haberi. Dehinc huic tetrametro Archilochus similem è contrario speciem commētus est, nam detractis hexametro non vt superiore vltimis, sed primis duobus pedibus, tetrametros huiusmodi induxit, velut,

Damætas & Lyctius Aegon. Demto,
Cantabunt mihi.

Quod est *δίμοιρον ἐπικόβν*. Item,

Et longo post tempore venit. Sublato,

Respexit tamen. Aliam Epodi speciem informauit, è quo genere apud Horatium tales Epodi inducuntur, vt in illo,

Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenæ.
Cui hexametro compositam tetrametro epodon addit,

Aut Ephesum bimarisiue Corinthi. dehinc,
Mœnia, vel Bacho Thebas, vel Apolline Delphos. Post,

Insignis aut Thessala tempe.

Itaque pedes si primos duos Epodo adijcias, fiet Hexameter talis, vt in eodem,

Laudabūt alij claram Rhodon aut Mitylenen.

Si

Si proficisceris aut Epheson bimarisiue Corinthi

(phos

Mœnia, vel Bacho Thebas, vel Apolline Delphos.
Aspicias magis insignis aut Thessala tempe.

Idem Archilochus penultimis Heroi Hexametri partibus adiecta syllaba huiusmodi versum induxit, qui metro Phalæcio, id est, tribus Trochæis vltimis clauderetur, vt est,

At tuba terribilem sonitum dedit ære canoro.

Adiecta enim ante vltimos pedes, sed, syllaba, fiet,

Aere sed canoro.

Quod est metrum Phalæcium. Iuncto omni, fiet versus huiusmodi,

At tuba terribilē sonitum dedit ære sed canoro:

Quod quidā Hexametrum Heroum *περιτλοσυλλαβῆς* dixerunt. Huic quoque idem Epodum subdidit, Trimeter versus Iambicū catalecticum, id est, vltima parte in minutum. Cuius exemplum noster Horatius sequutus est, illa Ode,

Soluitur acris hyems grata vice veris & fauoni.

Dehinc trimeter Catalecticus vice Epodi,

Trahuntq; siccas machinæ carinas.

Itaque si superiori vnā demseris, fiet hic Trimeter Iambicus Acatalectus, ille Herous Hexameter, hoc modo,

Soluitur acris hyems grata vice veris & oni,

Trahuntque siccas machinæ carinulas.

Quanta autem & quā profundæ artis scientia in hac Epodi conclusione Archilochus vsus sit, interest dicere. Nam cum æstimaret priorē versum,

L

cuius prima portio constat ex Heroo Tetrametro, id est,

Soluitur acris hyems grata vice:
et sequentem Epodum, qui è Trimetro Iambico Catalectico substitit, id est,

Trahuntque siccas machinæ carinas,
simili clausula terminatos in eundem cadere numerum, quum diuersæ rationis inter se generisq; viderentur, quippe cum alter Dactylico metro, alter Iambico censetur, tamen adiiciendo maiori syllabam & detrahendo minori, consequutus est, ut vterque Phalæcio metro concluderetur. Nam superior hexameter, sic,

Veris & fauoni.
Sequens trimeter, ita,
Machinæ carinas.

Quæ vtraque, tribus Trochæis annexis, id est metro Phalæcio terminante, admodum intra se decenter consonant.

DE PHALÆCIO METRO.

Phalæcium autem quod & Ithyphallicum, si tribus trochæis claudatur, appellatum aiunt à Phalæco, qui illo frequenter usus est, ut Sapho, quod constat ex Glyconio octosyllabo, ut,

Sic te diua potens Cypri.
Recipit autem Spondeum, Choriambum, Iambum & syllabam, ut,

Sulcos tunc retegunt comæ latentes.
Idem fiet Ithyphallicum sub ea diuisione, in qua
primus

primus pes ut in Glyconio erit vnus è quatuor dissyllabis, dehinc dactylus, tunc tres Trochæi, ut etiam hic,

Iamdudum tibi differens probaui.
Quidam tamen nullam volunt esse differentiã inter hos, sed eundem Ithyphallicum & Phalæcium accipiunt. Hoc autem Phalæcio versu Liberum Patrem solenniter canunt, si quidem quod etiã eius nomine & Rythmum & metrum complente demonstratur, sic,

Bache Bache Bache.
Sane reperimus Phalæcium syllaba nouissima detracta, veluti Scazonta, ut est,
Nunc Troiam fera vindicat Venus,
Quem volunt videri claudum.

DE TRIMETRO VERSU.

Sequitur, ut, iuxta propositum ordinem, Trimetri quoque Heroi, vel si quid ex eo editum est, ratio habita inspectaque pandatur. Est autem Hexametri portio subsistens pedibus tribus, quod genus à Græcis hæc immerito *ἡμιπῆς* vocatur, huius Panditur interea domus dehinc, (exemplum, Omnipotentis Olympi. Item, Hunclucum tibi dedico, dehinc, Confecroque Priape.

Quod metrum Priapeum à quibusdam æstimatur, propter geminam similitudinem, de quo suo loco dicemus. Trimetrum igitur Epicum nihil à Glyconio metro differre nonnulli contendunt.

Quod constat ex spondeo & Choriambum & Pyrrichio, vel Trochæo ultimo, ex quo plura apud Horatium Asmata sunt: vt,

Sic te diua potens Cypri. Et,

Mater sæua Cupidinum. Et,

Donec gratus eram tibi.

& cætera. Nam si soluas Choriambum & nouissimam eius syllabam, in superiore libro plenissime diximus, nunc pauca memorabimus, scimus in Dactylico genere esse & Pariambum, qui parem habet sublationi positionem, id est Arsin & Thesis. Maior autem est Spondeus, utpote Duabus longis: Minor pariambus, quia constat è duabus breuibus. Commune illis nomen Dactylus, ita alter Ionicus incipiens à maiore parte Dactyli, quæ longa est, ἀπὸ μείζονος dicitur. Alter incipiens à minore parte eius, hoc est, à duabus breuibus, ἀπὸ ἐλάσσονος nuncupatur. Cuius exemplum apud Horatium reperimus, qui in hoc genere carminis Alcæum secutus est, & Anacreon lyricus, & Euripides Tragicus, & Comici poetæ reperti sunt hoc uti numero, cuius exemplum,

Miserarum est neq; amori dare ludum,

Neq; dulci, mala vino lauere, aut ex-

animari metuentes patruæ verbera linguæ.

Ita binæ Bases, hoc est breues ac longæ iunctæ per Synaphian, vt Græce vocant, nos per coniunctionem, alternis vicibus variantur & procurrunt, Spōdeo autem hic versus clauditur, vt Ionicum decet.

At si detraxeris huic versiculo primum pariam-

bum,

bum, id est primas breues duas syllabas, erit ἀπὸ μείζονος, sic,

Rarum est neq; amori dare ludum neq; dulci.

Item si integro versui duas longas adieceris, vt, o quam, ἀπὸ μείζονος. Quibus ademptis reuertetur ad speciem suam, fietque ἀπὸ ἐλάσσονος. sic variata per vices adiectione & detractatione, vno eodemque versu, Ionici dispares creantur. Similiter & Iambica in Trochaicum metrum per huiusmodi commercia transeunt. Nec non etiam eadem si fiat adiectione ad Choriambicum transmigraris, quasi per circulum quædam, factis per adiectionem aut detractationem metrorum commutationibus. Ponamus enim, exempli causa, Choriambicum Trimeterum Hypercatalectum, non ex solis Choriambis, sed admixtum, vt sit prima quædam coniugatio diiambus, secunda Choriambus, tertia diiambus, & syllaba, quando hypercatalectum est, vt est,

Caduca populi coma glauca iam per agros.

Per singulas vel adiectiones vel etiam translationes varias efficit figuras. Nam cum sit choriambicum, & medium habeat vnum Choriambum, ambiatur autem vtrinque Diambus, si quis eis longam præponat syllabam, cuncta in eo versu transfigurabuntur. Nam & de diiambis, qui & initio & in fine sunt, Ditrochæos fecerit, & qui erat medius Choriambus in Ionicum à maiore transibit, & pro vna hypercatalecti syllaba duæ reperientur: vt est,

Quo caduca populi coma glauca iam per agros.
Adiecta syllaba longa, quo. Contra autem eidem

versui, si breuem syllabam initio adiungas, pro Ionico faciet Antispasticum metrum, & pro admixtione Trochaica facit Iambicum, & fit versus Antispastus Tetrametrus Acatalectus, secundam tantum habens Antispasticam coniugationem quæ fuit prius Ionica, ut est,

Tota caduca populi coma glauca iam per agros.
Et erit similis huic Saphico,

Aprica veris aura est, ubi flore rura lucent.
Præterea quia Ionicum eundem & Sotadiū supra diximus, non ab re est in vna atq; eadē specie, quid inter eas distet, ostendere. Diximus enim ex Ionico ἀπὸ ἐλάσσονος seu detractio priore Parnambo: seu adiecto ad caput ei Spondeo, Ionicum ἀπὸ μείζονος gigni, per Synaphiā, id est, cum vicissim breues longis, aut longæ breuibus syllabis, prout metri mensura fuerit, subiiciuntur. At vero in Sotadiū versum plerique pedes qui eum faciunt molliorem, contra quam ionicorum lex se habet, incidunt. Nam idem & dactylum & Anapæstum & Trochæum duplicem recipit, qui cum interueniāt faciantque hunc versum satis mollem ac lubricum, tamen non excedit viginti duo tempora, ut est hic qui ab Anapæsto incipit,

Genus vnde latinum, rogo, genus vnde latinum.

Nam pro Spondeo etiam si positus est Anapæstus trium syllabarum, tamen temporum totidem est. Sic est & hic versus,

Equitum peditum prælia tela pila pugnas.

Nam

Nam primus est Anapæstus, secundus Parnampus, tertius Spondeus, quartus Parnampus, deinde loco Spondei & Parnambi, contra quam Ionicorum ratio patitur, duo Trochæi, qui tamen mensura temporum Spondei ac Parnambi spacium exæquant, cum habeant inter se duas longas ac totidē breues. Desinit autem Spondeo, quia constat ex longis, vel quia omnis depositio recipit morā. Lego præterea apud quosdam Sotadeum admisisse in loco Trochæi Tribrachyn, utpote mensura temporum parem, ut est hic versus, qui pede Dactylo incipit: nam studium est id quoque ostendere, quemadmodū dactylus in Sotadicum metrū veniat, ex quo vterq; Ionicus, ut supra diximus, manat: huius exemplum,

Dicite rogo vos dicite quid ita rapitur Attis.
Nam primus est Dactylus, secundus Parnampus, tertius Spondeus, quartus Parnampus, quintus tribrachus, sextus tribrachus, vltimus Spondeus. Vnde haud immerito & Sotadium metrū ex Dactylico Hexametro deriuari manifesta rerum approbatione contenderis.

DE GENERIBVS METRORVM, quæ à Iambico profiunt.

DEcurso dactylo atque his quæ ex eo generantur, celeberrimis dumtaxat metris, quibus & magni authores nomina dederunt, & illustres poëtæ vsi sunt frequenter, adoriemur Iambum, principalium metrorum secundum, ut ita dixerim,

fontem, consortem sui temporis ac socium, è quo quid solers doctorum industria per adiectionem seu detractiōem aut concinnationem ediderit, quid eruditorum iudicio receptum in exemplum disciplinæ posteris traditum sit, prout potero è pluribus comprehendam, profutura scilicet cognitioni aut intellectui eorum, quæ quis aut eruere ut prisca ex reconditis, aut ex noua re tentauerit. Diximus iam, cum specialiter singulorum præcepta traderemus, iambum dactylico tam pedum numero quàm percussione congruere. Nam ut illum sex pedum cursu hexametrum, ita hunc quoque ob eundem pedum numerum Senarium appellari voluerunt, quem & trimetrum, nam iugatis per Dipodian binis pedibus ter feritur. Huic poëtæ propter contractionem ad breuitatem eius (utpote in tria tempora coartati, ideoque pauca admodum quæ eius metri temporibus congruerent, verba admittenti) quo latius panderetur, Spondeum, dactylum & Anapæstum miscuerunt, dumtaxat dispari loco, id est, primo, tertio & quinto, parem autem sedem Iambum semper ut sibi dicatam obtinere voluerunt. Sed hoc in Tragicis & Comicis metris, quo sint ampliores. Nam Iamborum scriptores, quibus celeri versu opus est, fere per pedes Iambos prouolant. Solet tamen nonnunquam Tribachus propter congruentiam eorundem iisdem regionibus, quibus Iambus, recipi. Nam ubicunque syllaba longa est, ibi duæ breues poni possunt, excepta sede vltima, qua pes sextus clauditur,

qui

qui semper aut Iambus esse debet aut Pambus, quo fit ut longissimus versus in eo septemdecim sit syllabarum, temporum vero totidem, quot & is, qui constat è duodecim syllabis, qua lege recipit Tribachyn, etiam trochæum simili temporū mensura admitti potuisset, quippe cum vterque eorum tribus temporibus censeantur: sed ne copulatio Trochæi cum Iambo alterius metri speciem induceret, quæ aut Choriambo aut Ionico, adempta prima breui qua Iambus incipit, subsistere videretur, omissum est. Notatur autem in Tragœdijs versus ex omnibus Iambis compositus, ideoque admodum est rarus, adæque & ille qui secunda, quarta & sexta sede Spondeum, aut qui ex eo creantur, admittit in Tragico dumtaxat stylo: nam qui Comico caractere sermonem instruunt, vitiāt Iambum, admixto locis eius Spondeo, quo & canor Tragicus paululū in fabulis comprimatur, & rursus à consuetudine soluti sermonis stylus Comicus erigatur. Quam obseruationem nostri fidelius quàm Græci custodierunt, quibus magis est in vsu Iambus. Nam tam à nobis quàm priscae Comœdiæ authoribus idem frequenter est vsurpatus. Sed ut iam ad conditionem Iambici metri disciplinamque redeamus, tres eius species, per quas profluit, enitar attingere, quarum prima Iambica, sequēs Trochaica, tertia ex vtroque mixta reperitur, quæ omnes per incrementa syllabarum sex diuersitates ex se metris dabunt, non alias quàm hexameter Heroicus, è quis prima erit duodecim syllabarū in tri-

L 5

metro versu, in quo aut omnes Iambi aut Spondei admixti reperiuntur: vt,

Ibis liburnis inter alta nauium.

Tredecim autem syllabarum sunt, qui vnum è tri-syllabis pedem sui dumtaxat generis qui pro loci conditione euenerint, habent, & reliquos è binis syllabis, vt,

Magnam propinquo scelere vidistis domum.
Quatuordecim vero, è quibus duo ternarum syllabarum contineantur, vt,

Erat oriendi tempus aurora hominibus.

Quindecim porro syllabarum in quo tres ternarum, reliqui totidem sunt binarum, vt est,

Equum sub aurata iuga media bigemina.

Sedecim syllabarum, cum duo pedes habent binarum syllabarum, quatuor autem trium, vt,

Nebula tenebrosa Canicula male roscida.

Septemdecim syllabis qui constant, rarissime inueniuntur, vnum enim omnino eumque nouissimum habent pedem Iambum, vt est,

Rapere maria celeriuola dea sibi cupit.

Sane accidit nonnunquam vt pro Anapæsto, aut Dactylo aut Spondeo quatuor breues primo pede ponantur, tanquam,

Beneficia pro re colere sapientis viri est.

qui aut per Synalæphen scanditur, aut duabus breuibus in vnam longam copulatis, explicatur.

Hoc genere versuum, vt supra diximus, primus vsus est Homerus in Margite suo, nec tamen totum carmen ita digestum perfecit, nam duobus pluribusue

busue hexametris antepositis istum subijcens copulauit, quod postea Archilochus interpolando composuit.

DE TRIMETRO VERSU Iambico.

Versus Trimeter Iambicus, qui & Senarius adiecta sibi ad initium dipodia in Tetrametrum, quem & Octonarium appellant, vertetur. Feritur autem dipodij quatuor, sicut trimeter tribus, quæ à numero pedum, vt diximus, nostri Senarium, à numero vero percussionum Trimeterum Græci dixerunt. Exemplum ergo trimetri Iambici erit,

Phaselus ille quem videtis hospites.

Hic quadratus ex trimetro efficitur, sic,

Adest celer Phaselus ille quem videtis hospites.

Igitur si priorem adiectæ trimetro versui dipodia detraxeris syllabam, ad, quæ est Iambi prima, erit versus incipiens à Cretico, quem Amphimacrum dicimus, sic,

Est celer Phaselus ille quem videtis hospites, quia detracta prima breui è Dipodia Iambica, sequens longa annexo sibi qui ei iungitur iambo, Creticum efficit pedem, sic, est celer. Item,

Beatus ille qui procul negotijs.

Huic Trimetero si anteposueris, Socrates, qui constat è longa breui & longa, hoc est Amphimacrus, erit Tetrametrus Archilochius Catalecticis, quæ nos quadratum dicimus, ita,

Socrates beatus ille qui procul negotijs.

Hunc Musici Trochaicū appellāt. Nam cū præcedat Iambū Creticus, detracta ei suprema longa & iambo in sequenti adiecto, versis in Trochæos iambis, Trochaicus Tetrametrus Catalecticus efficietur. Septem enim Trochæis decursis extrema omnino versui superest syllaba per adiectionem Amphimacri. At si per Dipodiam scandere volueris, erit idem Trochaicus Catalecticus, concludētibz versum eius Amphimacro vel Dactylo. Cōtra si Spondeus Cretico, vt iambus Trochæo subnectatur, cui prima, vt superius docuimus, in Iambicis sedes est (semper enim remota Amphimacro primum tertium & quintum obtinet locum) series illa de qua supra diximus Trochæi mutabitur. Nam longa, Cretici tertia, coniuncta sibi sequente longa Trochæos, vt supra ostendimus, per ordinem ire non patitur, Spondeo scilicet interueniente, qui Iambico versu dispari loco in Trochaico pari ponitur. Sane memineris quinque syllabas breues in huiusmodi versu posse pro vno Cretico poni, sed raro admodum. In comicis autem non succedunt, nec copulantur syllabæ insequentium pedum prioribus, vt supra: nec mutantur pedes in Tragico quadrato, ideo quod non sesquipes aliquis, id est, Trisyllabus, anteponitur Trimetro, qui conturbet ordinem, vt supra ostendimus, quique sesquipes appareat superfluous, post Trimetrum in vltimo. Itaque vt versus Tragicus anteposito Sesquipede ex Trimetro fit Tetrametrus, ita Comicus apposito sesquipede in vltima

sede

sede versus adæque Trimetrus reddetur Tetrametrus, vt,

Si quis per omnes mihi deos iuret patrem Lachetem.

In hoc autem versu per adiectionem non mutantur pedes, vt in tragico, quia sesquipes vltimæ parti iunctus, neq; vt superiore metro permixtus, clausulam tantum versui dabit. Tragico autem si sesquipedē præposueris, Ambiam, erit, vt diximus, Tetrametrus Catalecticus, vt,

Deos penates qui parentes Terei. Trimeter.

Tetrameter autem,

Ambiam deos penates qui parentes Terei.

Itaque vt Archilochus Creticum Iambico Trimetro præposuit, vt faceret tetrametrum trochaicum, ita Hipponax trimetro iambico vltimum adiunxit Antibachium ex prima breui, longis duabus, vt faceret tetrametrum iambicum Comicum, velut,

Trahuntque magni nauitæ clamoribus.

Trimeter. Adde, Carinas, fiet quadratus Catalecticus, qui ex iambo natus ad finem quoque idem manabit: nam licet Antibachio compleatur, nil oberit aut diuisio aut pedis copulati adiectione, retracta enim tertia eius longa, nas, iambus ex Antibachio efficitur. Ergo is quoque vt superior trochaicus aut semipede, id est syllaba vna, terminabitur, aut si per dipodiam percutiatur, post tertiam incisionem Antibachio claudente, erit in vtroque tetrameter Catalecticus. Frequens hoc Comicis metrum & præcipue antiquæ comœdiæ scripto-

ribus, nostri quoq; Plautus & Cæcilius & Turpilii non aspernati sunt, Atellanarum autē scriptores appetuerunt: est enim iocosis motibus emoluitum gestibusq; agentium satis accommodatum. Idem Archilochus ex trimetro supradicto syllabā auferendo modo è capite, modo ex infima parte, duo genera composuit, quorum alterum Græci ἀκέφαλον, alterum κολοβόν, qua si curtum, siue σκάζοντα, id est claudum, & ideo χαλῖαμβόν dixerunt. Exemplum Acephali trimetri erit,

Iuppiter salutis arbiter meæ. Item,

Est celer Phaselus ille quem vides.

Huic enim si adieceris vnam syllabam, erit Iambicus integer, sic,

Iam Iuppiter salutis arbiter meæ. Item,

Adest celer Phaselus ille quem vides.

Curtum autem per detractiōem vltimæ syllabæ fecit huiusmodi. exemplum erit apud Horatium tale,

Seu poscat agna siue malit hædo.

Huic si adieceris syllabā, erit integer trimeter, sic,

Seu poscat agna siue malit hædulo.

Id autem ab Horatio exemplum protulimus, vt ostenderemus, vnde id noster Lyricus imitatus sit. Est & altera species trimetri Scazontis, quam Hipponax induxisse perhibetur, cuius compositio talis est, vt secunda ab vltima semper syllaba longa ponatur, id est, vt non Iambo sexto, sed Spondeo pede aut Trochæo, contra quam lex Iambi postulat, terminetur. Merito que à Græcis appellatur

tur

tur Scazon, id est, claudus. Vnde obseruandum est, ne Spondeus, vel qui ex eo procreatur, sede quinta in hoc versu ponatur: ne quatuor iugiter longæ omne destruant metrum. erit in exemplo versus hic,

Sella in curuli Scrofa Nonius sedet.

Fiat, mutato accentu, pro sedet, sedit, erit claudus: rursus hunc permutatio verborum faciet Iambicū integrum: vt,

Sella in curuli Scrofa sedit Nonius.

Similiter & illum Scazonta permutatio eadem reatum Iambicum faciet: vt,

Nec excitatur classico truci miles. Contra,

Nec excitatur classico miles truci.

Hoc autem tunc demum fieri poterit, si vltimi duo pedes ex dissyllabis verbis subsistant, vt inter se permutari possint. Hæc compositio quamuis vitiosa tamen in Iambico placuit: nam Choliambos multi veterum scripserunt. Idem Hipponax etiam tetrametrum pari lege qua trimetrū induxit. cuius erit exemplum,

Pro pudor, Sella in curuli Scrofa Nonius sedit.

Nam tribus syllabis, id est amphimacro pede, pro pudor, superiorē versum, vt vides, præcedet. Itē,

Hæsitat nec excitatur classico truci miles.

Adiecto ad principium versus, hæsitat, tetrametrus factus est: de quo plura dicere superuacuū est. Omnino enim quæcunq; supremis duabus adiungas, ex Choriambe & Dibrachy, id est Pyrrichio, duo Dactyli efficientur. quod cum ita sit, nullus

inficias ire poterit, quin ex Spondeo & duabus Dactylis trimetrum Epicum formatum sit: cui si Pherecratium adiunxeris, heptasyllabum Hexametrum Heroum, cui Priapeum nomen est, figurabis: vt,

Sic te diua potens Cypri. Grato Pyrrha sub antro.

Qui constat ex Spondeo, duobus Dactylis: quarto spondeo, quinto dactylo, sexto spondeo. Item, Vxor pauperis Ibyci. Glyconium,

Cras donaberis hædo. Pherecratium. quibus coniunctis hexameter Priapeus efficitur, sic, Vxor pauperis Ibyci Cras donaberis hædo.

Memineris autem non omnem versum Priapeum probabilem fore, sed eum qui ex Glyconio & Phærecratio ita est compositus, vt vtraq; eius cola à Spondeo inchoentur, de quo suo loco plenius dicemus.

DE DIMETRO VERSU.

MEMINI de Dimetro nos superius sub occasione Tetrametri metri pleraque dixisse, quod est veluti naturaliter Epodis aptum, etiam si Sapho carmen ex eo continuum induxerit, quod appellatur *δίμορον ἐπικόν*, idem & Pentasyllabum, quia frequenter inuenitur cum alijs sui generis, Epodus habebitur. Nihil enim de eo quam dictum est maiores tradiderunt, vnde nunc ad ea, quæ de Hexametro pari ratione propagata sunt, reuertemur.

DE

DE METRIS QUÆ EX
Penthemimere, & hephthemimere
Tome propagantur.

HEROI versus primam incisionem, quam *πενθημιμέρη* Tomen vocant, in qua prior sit Spondeus, secundus Dactylus, dehinc syllaba, si duobus pedibus, integri dumtaxat sensus, reuulsis, & cuiuslibet fine versus hexametri connectas, propagabis versum Hendecasyllabum formæ alterius, quam est ille, qui subnexo Phalæcio figuratur. hoc frequenter vsa est Sapho, qui ita copulatur,

Sic fatur lacrimans. Et alio,

Labitur oris. Item,

Postquam res Asiæ quærere terras.

Nam semipedi qui superest sequētis Dimetri prima syllaba annexa Spondeum mediū dabit. Quartus Pyrrichius erit, vltimus vt fors tulerit, aut trochæus aut Spondeus reperietur. Quod genus metri ex vno versu formari poterit, illo dumtaxat, cui primus Spondeus, vt supra, sed sequens sit Dactylus de multis medijs tribus aut quatuor syllabis, tanquam,

At regina graui faucia cura.

Postquam res Asiæ vertere gentem.

Si tamen in versu nouissimos duos pedes integri sensus inuenies, quod raro cōtingit, idē hoc prædicta pēthemimeres hexametri tome, & Iābica basis cum semipede, quæ adæq; Penthemimeres incisionis metri Iambici est, subiecta superiori efficiet: vt,

M

Carmen Pierides struunt sorores. Item,
Silenum Bromijs dabunt choreis.

Nam, Silenum Bromijs, hexametri est tome, struunt sorores, Iambici. At si eadem tome, de qua sermo est, ab hexametro diuisa, sequentem versus eius partem tribus trochæis perficias, metrū haud indecens formabitur, quod erit in numero & genere Phalæciorum per coniūctionem Heroi hexametri, & Trochaici, haud alias quàm superior, ex copulatione Iambici, tanquam,

Dudum faucia cura, Exerit furorem. Et,
Eluctabile tempus, Fata iam parabant.

Nec minus hephthemimeres tome, subdito sibi versu trimetro Catalectico, qui ex Pyrrichio, Spōdeo & Iambo subsistat, aptum Tragicis choreis metrum præstabit, velut,

Multa quoque & bello passus. Dehinc,
Fato profugus Lauinaque venit. Item,
Obrue nos Danaosq; simul,

Aras Priami damnate pias tunc.

Quo genere metri & Euripides in Oreste, & Pōponius noster in suis vsi noscuntur. ex eadem sola Hephthemimere tome apud Septimium Serenum in opusculis compositum carmen huiusmodi reperitur,

Inquit amicus ager domino,
Si bene mi facias, memini.

Pinea brachia dum trepidant,
Audio canticulum Zephyri.

Adiecta residua metri parte efficietur hexameter
Herous,

Herous, hoc modo,

Inquit amicus ager domino, Sere plurima, red-
dam.

Si bene mi facias, memini tibi soluere grates.

Audio canticulū Zephyri modulante susurro.
Ita per adiectionem residui commatis Herous integer effectus est. Item ex tribus Daçtylis, accedente ad extimam clausulam Pyrrichio seu Iambolyci versus metrū, quod Græci Calabron appellant, informabitur, vsurpatum à pastoribus Calabris, qui decantare res rusticas his verbis solent, quod genus metri Annianus Phaliscum carmen inscribit, tanquam,

Carmina per varios dare modos.

Vt est illud apud Septimium Serenum,

Quando flagella ligas, ita liga,
Vitis & vlmus vti simul eant.

Ferme omnes Daçtyli sunt, vltimo dissyllabo accedente quolibet excepto Spondeo, quod genus & ex Penthemimere Tome formari poterit: ita vt duobus Daçtylis & semipede partem orationis implentibus residua metri portio duobus dissyllabis, id est Pyrrichio & Iambo, terminetur, vt,

Vitis & vlmus vt simul eant.

Adæque & quatuor Herois & semipede accedentibus duobus ad finem versus Iambis, Archilochiū metrum procreabitur: vt est,

Veliuolis properat multisq; citisq; nauibus.

Quod si pro nauibus, carinis, posueris, fiet Herous hexameter.

DE ANAPÆSTI METRI

generibus, quæ ex Heroo
deriuantur.

Sed & Anapæstica metra per Epiplocen, de qua supra diximus, ex Heroo originē trahere haud difficile est deprehendere: Nam si hexametro versui, cui in supremo Spondeus seu Trochæus sit, cæteri omnes dactyli, primam detrahas syllabam, (tanquam,

At tuba terribilem sonitum dedit ære canoro.) erit Anapæsticus Catalecticus. Sublata enim, At, coniunctione, quæ prima in versu positione longa est, vltima singularis erit, syllaba initiali, vt vides, demta, quæ in principio dactylum, in vltimo Spondeum facit. Erit ergo Anapæsticus versus talis,

Tuba terribilem sonitum dedit ære recuruo.
E tribus autem Anapæstis coniunctim vltima his syllaba Catalectica accedente, seu duabus, interdū enim Spondeus pro Anapæsto, metro exigēte, ponitur, & duæ reperiuntur, quæ tamen conuenientem metro non efficient pedem, vt merito Catalecticus versus efficiatur, formabitur Epodos ex Anapæstico non absone metro Heroo respondēs, nec immerito, nam retracta Heroo penthemimere, pars eius residua hanc Epodum dabit, velut,

Vos o Calliope: dehinc,

Precor aspirate canenti.

Id erit in Anapæstico, par ac simile,

Mea

Mea tibia dicere versus. Item,
Præterea duo nec tuta mihi valle reperti.

Huic simile Anapæsticum,

Cuicunque libebit vt istos.

Quod si coniungas, facit,

Vos o Calliope mea tibia dicere versus.

Inde intelligi datur ex huiusmodi Anapæstis carmen illud Phaliscum, quod constat ex Spondeo duobus Anapæstis & syllaba, esse compositum,

Vndæ vnde colonus Eoæ.

A flumine venit Oronti.

vltima Catalectica superfluenta syllaba. Suggestum tamen necessario reor, ne forte apud aliquē mirum aut nouum sit, si mixtum Anapæstis Spondeum inuenerit, nam cum & Anapæstus & Dactylus è duabus Spondei longis nunc prima nūc secunda diuisis, editi esse noscantur, consequenter ac merito vt parens vtriusque apud alterū eorum authoritatem maximam obtinebit, & vbi vsus exegerit, inter Anapæstos locum sibi vsurpabit. Neq; hoc silentio tradiderim, etiam alteram Phaliscorū carminum speciem ita digestā, vt è tribus Dactylis & Iambo vltimo ordinata subsistat, velut,

Pergat amica Venus modo iocis.

Dimetro autem Anapæstico Catalectico siue Heroo Penthemimeris, si Phalæcij colon, id est, partē è tribus Trochæis seu Syzygiam eius adiunxeris, Profodiacum metrum efficies, quod semper à dissyllabo quolibet, vt,

Heu heu date nunc sonitus date bella tela.

M 3

Item ex Heroo,

Carmina pulchra mihi o boni sodales.

Accedit his etiam illa Anapæsticorum species de fonte Dactylici versus veniens, apta admodum Comicis, ἀναπæστις nuncupata est, non quia cōditor eius Aristophanes fuit, nam & Aeschylus & Cratinus priscae comœdiæ scriptores ea vti sunt, sed quia plurimus in hoc metro Aristophanes inuenitur. Cuius species duplex, Pæonica & Anapæstica. Nam versus Aristophanius Pæonicus constat è tribus primis pæonibus, & amphimacro, ut est,

Iam Tyberis en placidus in maria labitur. Item,

Egregia percoluit ingenia Musice.

Quibus si vltimas breues Pæonum detrahas, erit omnis Dactylicus tetrametrus Anapæsticus, qui constat Anapæstis septem & semipede, qui est octonarius, veluti,

Alius cythara sonituq; potens volucres pecu-
delque mouere.

Cuius origo talis est: Omnis pes in hexametro Heroo primam syllabam longam habeat, necesse est, & hic versus sit pedum sex, Aristophanius autem, quia septem pedibus & semipede subsistit, necessario adiungimus Heroo selquipedem, ita ut in principio versus syllabam longam locemus, tunc maxime, si in eo versu fuerit primus Dactylus, hac enim addita syllaba, omnis Heroi metri ratio commutabitur: nam ex Dactylo per adiectionem semipedis fiet Spondeus, dehinc quæ se-
quuntur

quuntur duæ breues, proximam syllabam longam, quæ fuerant Dactyli, occupabunt, ut fiat Anapæstus, & deinceps reliquæ idem facient. In suprema autem parte versus, id est, ante vltimum Spondeum, quo Herous clauditur, & quintum pedem, interponimus dactylum, quo pes septimus Anapæstus efficiatur, superfluente semipede, veluti,

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

Adicio versui primam syllabam longam, Ex, item ante vltimum pono pedem, per freta, fiet talis,

Ex Peliaco quondam prognatæ vertice per freta pinus. Item, (da.

Iam ferus Hesperia dabitur Capricornus in vn-
Iungo ad initium, & ante vltimum autem pono, amatus, fiet,

Et iam ferus Hesperia dabitur Capricornus a-
matus in vnda.

Aut si primus Spondeus sit, insequentes Anapæsti sex, semipede vltimo. Item,

Admota labris tuba terribilem sonitum dedit
ære canoro.

Hic versus per adiectionem, quatuor syllabarum primarum, admota labris, ex Heroo, Anapæsticus effectus est Tetrametrus Catalecticus, scanditur per dipodias & terminatur per semipedem, sic,

Admota labris tuba terribilem sonitum dedit
ære canoro.

Item alia de hexametro eius species ex eodem dumtaxat versu, in quo præter vltimum omnes dactyli pedes sint, ut,

At tuba terribilem sonitum dedit ære recuruo.
Ademta enim prima initiali & tertia vltima syllaba, fiet,

Tuba terribilem sonitum dedit ære curuo.
Percutitur, vt vides, Anapæstis quatuor, vltimo Bachio à breui incipiente. Item,

Ast ego iam Bromio thyasos celebrabo renato.
Ex quo Anapæsticus talis,

Ego iam Bromio thyasos celebrabo nato.
Rursus Anapæsticus in Heroum commigrabit hoc modo,

Tibi nascitur omne pecus, tibi crescit hædus.
Huic si adijcias, quæ Heroo detraxeras, id est, primam & tertiam syllabam, fiet versus Herous, ita,

Nam tibi nascitur omne pecus, tibi crescit & hædus.

Ita ex se per adiectionem detractionemque parantur. Ideoque à quibusdam Anapæstus Antidactylus dictus est, cum eiusdem cognationis iure proximi in eandem temporum legem numerumque concurrant. Hic versus ab Archebulo Archebulius dictus est, non ipso autore editus, sed ab eo frequenter vsurpatus. Nam & Ibycus & Pindarus & Simonides hoc versu longe ante vsi ostenduntur. Proprium autem Archebulium est, quod constat Ionico ἀπὸ μέλιτων, in sequentibus duobus Dactylis & duobus Trochæis. Recipit & Anapæstum in fine & Spondeum pro Trochæo, sed & Bachiū à breui incipientem. huius exemplum est,

Iam pes nouus atque metron placet Archebuli,

Nonnun-

Nonnunquã in hoc pro prima syllaba longa, duæ breues ponuntur: vt,

Tibi nascitur omne pecus, tibi crescit herba.
Item Archebulion prima syllaba adiecta,
Nunc pangite dulce melos Iouis alma proles.

Nam sesquipede huic sublato, id est, nunc pangite, erit Decasyllabum Alcaicum, sic,

Dulce melos Iouis alma proles.
Non superfederim etiam Salustiano, qui profluit ex Pentametro Heroo: Falso queritur de natura sua genus humanum. Detracta enim, sua, erit versus trimeter Anapæsticus, nam veniet in formam Pentametri, sic,

Queritur de natura genus humanum,
Annexo vltimæ parti, falso, erit idem Trimeter Anapæsticus, in quo prima Syzygia continebit Anapæstum & Spondeum, secunda duos Spōdeos, tertia Anapæstum & Spondeum,

Queritur de natura genus humanum falso.
Calabrius etiam versus, quia occasio admonuit, inter Anapæsticos numerabitur, vtpote qui ex Anapæsto & Spondeo constet: velut,

Habeatur vt est ventum, tibi comprecor errorem similem.

Nam continet Anapæstos duos & Spondeū, item Anapæstos duos & Spondeum, vltimum Anapæstum singulare.

DE METRO CHORIAM.
bico quod ex Pentametro
Heroo manat.

Nec minus Choriambicum, quod & Phalæciū,
è pentametro Heroo deriuatur. nam duobus
Dactylicis versus colis, id est duobus hemistichijs
nascitur, tanquam,

Dum meus assiduo luceat igne focus. Item,
Nulla meo sedeat turba profana loco.

His postremum ad semipedem si adijcias sylla-
bam, seu positione seu natura longam, ut, nulla
meo iam: dehinc penultima quæ in versu brevis
est si longa ponatur, id est pro, loco, ut sit, luco, ef-
ficietur versus è Dactylico Choriambicus qua-
dratus Catalecticus per adiectionem & immuta-
tionem, ita,

Nulla meo, iam, sedeat turba profana luco.
Semper enim Dactylus, si post duas longas breuem
acceperit in Choriambum commigrabit, ut, Arma
virum, & Tityre tu: sicut & hic, Nulla meo. Docui
superiore volumine Chorium eundem & Tro-
chæum appellari, huic subiectum Iambum Cho-
riambum pedem reddere. Ergo erunt in versu tres
Choriambi, vltimus Bachius à breui incipiēs, nam
fatis absone Choriambo clauditur, meritoque Te-
trametrus Catalecticus figuratur: ut,

Dum meus hic assiduo, ardeat igne focus.
Nam ita & hic ut Anapesticus quadratus termina-
bitur antibachio, eritque Catalecticus, quia non sui
generis

generis pede clauditur. Instruendi sane sumus nō-
nunquam Choriambo, si res exegerit, Iambicam
Bachin immisceri, quod genus Bachiacum Musici
dicunt, exemplo erit versus ille,

Cui referata mugiunt aurea templa mundi.
Nam secundus pes, ta mugiunt, duobus Iambis cē-
setur, nec tamen aliquid iacturæ metro attulit, cum
temporum inter vtrumque congruant spacia. Vnde
& tribrachus pari calculatione admitti pes poterit
duabus breuibus in vnam coeuntibus, quæ Iambū
seu chorium efficiant. Nec te syllabarum terreat
numerus cum intra præfinita temporum spacia te-
neatur, veluti,

Tibi vetus ara caluit aborigineo facello.
Hic pro Chorio siue Trochæo tribrachus positus
inuenitur, longa in duas breues soluta, sic, Tibi ve,
Tibicnim pro vna syllaba longa accipiemus. Ra-
caluit ab o. Nam pro Choriambo tribrachus bis
inductus reperitur. Huius metri Phalæcum au-
thorem accepimus, quod appellatione ipsa dinos-
citur, qua metrum signatur.

DE DVOBVS IONICIS
à Dactylo hexametro generatis.

Ionicus quoque Sotadeus siue Sotadicus, nam
quidam volunt esse inter eos hanc differentiam,
ut Sotadeus constet duobus Ionicis & Ithyphalli-
co, id est tribus Trochæis, ut.

Pronus cupit ingentibus ire cum procellis.
At Sotadicus tribus Ionicis pedibus adæque

ἀπὸ μείζονος ultimo Spondeo, ut est,

Galli timidi semianimes tergora vertunt,
Ex Dactylico hexametro profluunt. Nam Spon-
deo initiali & finali & in medio versu posito con-
stat, qui in Heroo summa obtinet metri, utpote
qui diuisione secundæ longæ Dactyli sit par. Eius
tetrametrus quoque Catalecticus similiter originē
ab Heroo hexametro trahit. nam quod residuū est
Dactylico versui post diuisionē eam, quā hept-
hemimere diximus, tanquam,
Arma virumque cano Troiæ Superest,
Qui primus ab oris. Item,
Inde thoro pater Aeneas Dehinc,
Sic orsus ab alto.

Id si geminaueris, & Pariambum medium in-
ferueris versui, Ionicum ἀπὸ μείζονος tetrametrum
Brachycatalectum figurabis, utputa si medius Pa-
riambus. Ergo geminata cola Heroi versus metrū
ex se tale procreabunt: ut,

Qui primus ab oris. Item, Dum conderet urbē.
Sit medium, puto, fiet versus,

Qui primus ab oris, puto, Dum conderet urbē.
Ergo Pariambus in media sede duorum hemisti-
chiorum positus duo cola necit, facitque ut inter
se congruant, quæ sine metro antea dissidebāt. Sa-
ne cadere nonnunquam in hanc speciem & tro-
chaicam basin, quæ secunda regione post Ionicam
primam positam Praxilium metrum efficit, inti-
mandum lectori esse par duxi, ne velut contra le-
gem Ionicorum factam existimaret, veluti,

Te

Te nunc rogo Phœbe dulce melos.
Ex hoc & Dithyrambici metri origo manat, quod
ex duobus primis Pæonibus & Hippiio tertio, id
est Epitrito, subsistit, ut,

Iam Tyberis implacidus vnda fluens.
Quorū supremas si detrahas syllabas, tres Dactyli
in versu reperiuntur. Nunc de Ionico, quem Mu-
fici ἀπὸ ἐλάσσονος vocant, cuius de origine, & nomi-
ne & compositione, quia accidunt trimetro Sca-
zonti, huic quoque accidere in dubium nō venit,
ex trimetro versu Iambico Dimetrum Epodum.
Octosyllabum Archilochus commentus est, ut,

Beatus ille qui procul negotijs.
Ex quo dimetrus,

Beatus ille qui procul.
Nisi si recipiat Dactylum, aut eius contrarium, vel
loco Iambi tribrachum, & fiat nouem syllabarum.
Hic enim dimetrus, adiectis duobus pedibus,
quos idem detraxit, reuertitur ad pristinum tri-
metri statum, tanquam,

Subire Mæcenas tuo.
Si adiecero, negotio, erit trimetrus,
Subire Mæcenas tuo negotio. Item,
Beatus ille qui procul.

Si addidero, Simonides, trimetrum hac dipodia
complebo,

Beatus ille qui procul Simonides.
Facit præterea versum Iambicum trimetrum tam,
Simonides, quàm, negotio, repetitum ter, haud
alias quàm aiunt fecisse Vergilium nostrum, Iam-

bico Epigrammate:

Thalassio Thalassio Thalassio.

Quod bis enunciatum facit Epodon, ita,

Beatus ille qui procul negotio,

Thalassio, Thalassio.

Quo dimetro etiam Archilochus carmen composuit in Lycamben & filias: sed & apud nos metro continuo Alphius Auitus libros rerum excellentium fecit, & noster Horatius plures odas eodem metro persecutus est. Item dimetrus ex utraque parte syllaba detracta & Acephalos & Scazon, id est, capite imminutus & claudus efficietur, sic,

Adest celer Phaselus est. Item,

Simonides, Simonides. Prima enim adempta syllaba facit ἀκέφαλον, sic,

Est celer Phaselus est.

Ultima vero claudum, sic,

Adest celer Phaselus. Item ἀκέφαλον,

Monides Simonides. Scazon,

Simonides Simoni. Ad instar scilicet dimetri superioris. Horatius autem in suo opere primum ἀκέφαλον assimilem huic,

Est celer Phaselus est, Ita induxit,

Non ebur neque aureum.

Sequentem vero Epodum trimetrum catalecticum ad instar huius,

Phaselus ille quem vides Sabinus,

Mea renidet in domo lacunar.

Cui si duplicem Iambum à principio demseris, mea renidet, relinquetur, in domo lacunar, quæ clauda

pars

pars erit dimetri assimilis illi superiori,

Adest celer Phaselus.

Huius tenoris ac formæ quosdam versus poëtas lyricos carminibus suis indidisse cognouimus, ut

& apud Arbitrum inuenimus, cuius exemplum,

Memphitides puellæ,

Sacris deum paratæ. Item,

Tinctus colore noctis.

Aegyptias choreas.

DE SATVRNIO VERSV.

ET quoniam sub occasione versus huius & tempestiua etiam nobis alia suggerit species, consentaneum reor hoc loco dicere de natura & origine huius versus, cui prisca apud Latinos ætas, tãquam Italo & indigenæ Saturnio siue Faunio nomen dedit, sed falluntur: à Græcis enim varie & multiformiter inductus est, nec tantum à Comicis, sed etiam à Tragicis. Nostri antiqui vsi sunt, ea non obseruata lege, nec vno genere custodito, sed præterquam quod durissimos fecerunt, etiã alios longos, alios breuiorens inseruerunt, quorũ est hic,

Turdis edacibus dolos comparas amice. Item,

Ferunt pulcras cretarras, aureasq; lepistas.

Et apud Næuium,

Nouem Iouis concordem filiæ sorores.

Videtur tamen è duorum versuum membris compositus, Dimetri & quadrati. Constat autem pedibus sex & semipede. Nam primos tres pedes & semipedem habet, ex parte prima Dimetri: reli-

quos vero tres pedes, qui sunt ultimi, habet à parte prima quadrati Tragici Trochaici, vt,

Cum victor Lemno classem Doricam appulisset.

Est autem duabus primis syllabis longior ab hendecasyllabo, nam vno pede in capite hendecasyllabi posito, Saturnius versus fiet: cuius exemplum, Metelli proposuerunt de Næuio, aliquotiens ab eo lacefsiti, Ita,

Malum dabunt Metelli Næuio poëtæ.

Nam, Malum dabunt Metelli, clauda pars Dimetri Iambici est: dehinc, Næuio poëtæ, tribus Trochæis constat, quod Phalæcium vocamus, nec quicquam oberit Trochæo, quod semper in metris indifferenter, sicut superius diximus, ponitur, tres Iambos cum syllaba & tres Trochæos. Ergo erit prima pars (id est,

Malum dabunt Metelli.) talis, qualis est,

Adest celer Phaselus. Itē, Mēphitides puellæ,

Sequens,

(Næuio poëtæ.) talis, vt est,

Bache plaude Bache.

Sane vt in decasyllabo, primus pes incertus est. Ita vt in hoc duo primi pedes variantur,

Iam nunc vocet Camœnas quis nouē sorores. Qui vt terminus à Spondeo incipit. Quidam volunt hunc feriri sexies & recipere pedes septē, hoc est, Spondeum, Iambum, Pyrrichium, Pariambū, Dactylum, Trochæum, Anapæstum, è quibus est Thacomestus, & nasci à Trimetro Scazonte: alij

vero

vero omnes duodecim pedes admittere, neque semper eum, vt illi asserunt, nasci è Trimetro Scazonte. Vnde apud omnes grammaticos super hoc adhuc non parua lis est.



LIBER QVARTVS

DE CONNEXIS INTER

se atque inconnexis quæ Græci

ἀσυνάπτητα vocant,

pragmaticus.



MENSIS atque discussis his secundum propositum nobis ordinē, quæ ex Dactylico atque Iambico genere per multiplices compositionum figuras informata deriuantur, superest vt ea, quæ ex vtriusque concinnatione ac permutatione metrorum genera procreantur, quibus aut magni auctores nomina dederunt, aut illustres poëtæ frequenter vsi sunt, persequamur. Namque Archilochum ferunt, quem parentem artis Musicæ iuxta multiformem metrorum seriem diuersamque progeniem omnis ætas canit, acceptum ab his qui ante se inspexerant summamque tractauerant Dactylicum, quod est omnium caput ac principium, per abiectiões detractiõesque vertisse. E quo

N

primum Iambicum metrum per detractiōē unius temporis formavit, adæque Hexametrum, qui per Dipodias Trimeter efficitur, dehinc ab his duobus exorsus multa metrorum genera, variaq; produxit, mutata per translationem, ut in utroq; longa syllaba. Rursus per incisionem singulorum atque coniunctionem pleraque metrorum genera commentus est. Iamque Iambico trimetro detracta parte tertia, id est, Dipodia, dimetrum Iambicum edidit, sic,

Beatus ille qui procul negotijs, Dehinc,
Ut prisca gens mortalium.

Similiter à dactylico eadem parte adempta, id est, duobus retractis pedibus, Tetrametrum de Hexametro versum protulit, ut,

Cantabunt mihi Damœtas & Lycæius Aegon.
Dehinc,

Damœtas & Lycæius Aegon.
Eadem species erit si supremos similiter pedes detrahas, ut,

O crudelis Alexi nihil mea carmina curas.
Dehinc,

O crudelis Alexi nihil mea.
Item Iambico trimetro suprema detracta syllaba hendecasyllabon, quem quidam Miuron vocant, edidit, ut,

Beatus ille qui procul negotijs. Dehinc,
Beatus ille qui procul quiescit.
Similiter Trochaico tribus reuulsis pedibus, metrum Phalæcium protulit, sic,

Tollor

Tollor in montes vagus entheus repente.
Dehinc,

Entheus repente.

Rursus hæc eadem connectens per cola & commata inter se, innumerabiles edidit species, quarum aliæ per coniunctionem, aliæ per iniectionem metrorum compositæ formatæque noscuntur. Nam duobus pedibus & semipede versus Heroi, quæ penthemimeres tunc dicitur, diuulsis, rursusque inter se copulatis, pentametrum Elegiacum figuravit, ut,

Incipe Menalios: Incipe Menalios.

Idem hoc ex tribus Penthemimeres fit, & appellatur ab alijs tripenthemimeres, ab alijs trisynteton. Traditur autem trisynteton illa species, quæ tria cola diuersa ac seiuncta metri lege in vnum carmen consociat, tribusque trochæis in fine concludit, unde & trisynteton appellatur, quod scilicet sit specierum trina ratione distinctum, tamen copulatis his versus unius generis propagatur. Phalæcium quoque tetrametro Heroo, assimili quoque in consona inter se coniunctione sociavit, ita,

Soluitur acris hyems grata vice, Dehinc,
Veris & fauni.

Tres trochæos eadem specie & in Anapæstico dimetro, id est, dipodia eius ante lata, protulit, velut,

Age nunc comites ferte sacra Bacho. Nam,

Age nunc comites,

Anapæstica dipodia.

N 2

Ferte sacra Bacho,
Phalæcium metrum est. Item ex Iambica basi &
Choriambo, sic,

Nouum melos Lydia dic. Nam,
Nouum melos, duo sunt Iambi,
Lydia dic, Choriambus. Rursus ex dimetro
Anapæstico, & dimetro Iambico Catalectico, sic,
Age conscia Musa sacros scopulis refer sonaꝫ
cantus.

Age conscia Musa sacros scopulis,
Dimetrum Anapæsticum.

Refer sonaꝫ cantus,
Dimetrum Iambicum Catalecticum. Item ex di-
metro Iambico Acatalecto, & dimetro Trochai-
co Catalectico, sic,

Beatus ille qui procul, tollor in montes va-
gus. Nam,

Beatus ille qui procul,
Dimetrum est Iambicum Acatalectum.

Tollor in montes vagus,
Dimetrum est trochaicum Catalecticum. Adeo
fœcundus varietate carminum, & singularis artifi-
cij in excogitandis nouis metris hic author est, vt
& cæteris vatibus imitationis suæ, in componen-
dis metris obseruantiam parcm studiosa æmulati-
one præstiterit. Nam plerique sequentis æui his
informati metrorum figurationibus, & quibusdam
vijijs authore Archilocho, varias numerorum spe-
cies & ipsi commenti posteris tradiderunt, vnde
innumerabilis, incomprehensibilisque venit in
manus

manus copia. Nam è trimetro Iambico Archilo-
chio, Iambicus pede minor, quem etiam decasylla-
bon vocant, figuratus est ab Alcæo, vnde & Alcai-
cus dicitur, vt,

Beatus ille quem potens Deus.

Item heptasyllabon Anacreontium, primam ha-
bens longam additam, vt,

Nunc sacras ire ad aras.

Item ex Trimetro Iambico Catalectico, medio
trochæo immisso, sic,

Trahuntq; siccas machinæ carinas.

Nam à Callimacho medius Trochæus insertus est
Iambico versui. Hæc forma conueniens Saturnio
versui est. Item Iambicus dimetrus solutus in Tri-
brachyn,

Agite fugite, quatite Satyri.

Item ex basi trochaica & molosso,

Tollor altos in montes.

Item ex Trochaico metro Catalectico hephthe-
mimeri dactylico,

Tollor in montes vagus, numina sic stimulant.

Item Trochaicus tetrametrus Catalecticus pluri-
bus longis in breues solutis, sic,

Agite turba Phrygia nunc & quatite grauia
tympana.

Item Trochaicum tetrametrú Catalecticum quar-
tum Iambum habens, quod Eupolidium vocant,

Iuppiter vocatus, adest: Dij fauete cæteri.

Item ex trochaico tetrasyllabo & dimetro Ionico
ἀπὸ μέτρον, quod est Sotadium,

Eia nunc mihi.

Item ex Anapæsto dimetro Acatalecto, & Iambi-
co dimetro Catalectico, sic,

Age nunc comites rabidæ Cybeles vocēt cho-
ros ad aras.

Item Saphicum dimetrum hendecasyllabum ex
Anapæsto Catalecticum,

Rapiunt hederas cito Mænades.

Item ex Choriambis & dipodia Iambicum alterna
vice, ita ut in ultimo catalexin habeat, sic,

Lydia dic precor mihi, perdere cur sodalem.

Item ex Choriambo & dipodia Iambica & Tro-
chaica, ultimo amphimacro, ut,

Lydia dic precor libens, unde dona quæ geris.

Item ex Choriambo & basi Iambica, ultimistro-
chæis tribus,

Lydia dic precor mihi, cur tacere nolis.

Item ex Choriabico dimetro Acatalecto, & Tro-
chaico dimetro, sic,

Lydia dic quid retices, cur venire perneges.

Itē ex Glyconio & Iambico dimetro Catalectico.

Cantu concinuit feros, & impios gigantes.

Item ex Pherecratio & Iambico dimetro Catale-
ctico, sic ex his Callimachi brevissimis duobus:
item ex Glyconio & Pherecratio iunctis, è quis
Priapeus versus fit, sic,

Nereus ut caneret fera grato Pyrrha sub antro.

Item verso eorum ordine, similis superiori versus
creabitur, ut,

Ibam forte per agrum montis siluicomi nemus.

Item

Item quod utrosq; Glyconios habet, ut,

Ibam forte per arduum mōtis siluicomi nemus.

Item quod utrosq; Pherecratios: sic,

Rumpunt carbasa venti, fiunt liba Priapo.

Item ex duobus trochæis & duobus Iambis, ut,

Sancta diua parens Sami.

Item ex Molosso & Iambo, qui Molossiambus di-
citur: ut,

Marcenti gradu nectebant choros.

Item ex penthemimere & syzygia Iambica cum
semipede & altera penthemimere, quod Platoni-
con dicitur: ut, (opus est.

Arma virumque cano, boni sodales, ludere nunc
Item dimetron Heroon cum Ithyphallico ex tri-
bus trochæis, sic,

Qua vada cærule molle flumen vrget.

Item è duobus Dactylis & semipede repetiti faci-
unt Elegiacum, adiecta in prima syllaba vna, & in
medio altera inserta, quod Thesmophorion vo-
catur, ut,

O perpetuo tellus quæ nunc riget vsta gelu.

Item & tome Iambica & Elegiaca quæ Penthemi-
meres dicitur, sic,

Canam relictus, impiger ipse veni.

Memineris autem generaliter Elegiaci versus co-
la Iambicis subnexa, sub quacunque versus specie
feu lege, Iambelegum ab authoribus, composito
vocabulo, nuncupari. Seu contra, si præponas Ele-
gum Iambo, Elegiambum, ut,

Impiger ipse veni, canam relictus. Nam]

N 4

Impiger ipse veni, Tome Elegiaca: Canam
relictus, Tome Iambica. Item ex dimetro trochæo
& penthemimere,

Nunc deos adesse dico, postquam res Asiæ.
Item ex trochaico dimetro Acatalecto, & Chori-
ambico dimetro Catalectico, sic,

Iuppiter beatus ille, Lydia dic per omnes.
Item ex basi Trochaica & Choriambo, vt,
Phœbe dulce fume merum.

Item Trochaicum tetrametrū Catalecticū, quartū
Iambum habens, quod Eupolidion dicitur,

Iuppiter vocatus adest dij fauete cæteri.
Item ex Trochaico dimetro Catalectico & Ionico
ἔποδὸν μείζον ultimis tribus Trochæis & semipede,

Iuppiter cælo sedens fulmen parat acre, cūcta
quo tremunt.

Item ex Ithyphallico, sic,
Mente concitatus tollor in scopulos repente.

Item ex Anapæsto Dimetro Acatalecto & Iambi-
co dimetro Catalectico,

Age nunc comites rabidæ Cybeles vocēt cho-
ros ad aras.

Item ex dipodia Anapæstica & Ithyphallico,
Age nunc comites ferte sacra Bacho.

Item ex Choriambo & dipodia Iambica & Tro-
chaica, ultimo Amphimacro,

Lydia dic precor libens, vnde mala quæ geris.
Item ex Pæonico trimetro Catalectico & Ithy-
phallico, vt, (men.

Nunc agite, nunc tripudijs mihi dulce ferte car-
Item

Item ex Pæonico dimetro & Choriambico dime-
tro Catalectico, vt,

Nunc agitata venit Lydia dic per omnes.
Item ex Ionico *ἔποδὸν ἐλάσσον* & Pæone tertio, &
Ithyphallico, sic,

Miserarum est nec amore nec furore tangi.
Item ex Ionico *ἔποδὸν μείζον* & Choriambico & vl-
timo iambo,

Dic nunc age Clio mihi Pegaseum melos.
Ad summam omnia metra, & quæ inter se con-
gruunt, & quæ temporum ratione contraria sunt,
si plenius consideres, ab Heroo traducta sunt, &
mehercules, si quis excutere penitus velit, inue-
niet, vt supra diximus, omnia genera ab Hexame-
tro Heroo & trimetro iambico deriuata, quum &
iambicum Heroi sit traductiuum, nec quicquam
sine his per se posse consistere: vnde, vt diximus,
hæc duo metra, vt elementa cæterorum ac semina
habenda merito ac dicenda sunt. Hæc ita videri
atque esse, vt diximus, si studiosa contemplatione
exempla quæ proponuntur aduerteris, approbabis.
Nam metrorum species cum generis sui priuilegio
distinctæ sint, tamen misceri inter se atque diuersis
communia effici ea videlicet ratione, qua cuncta,
vt dictum est, ex eadem origine atque vno fonte
deriuntur, sic comprehenditur. Legimus apud
Horatium,

Sic te diua potens Cypri.
Hoc Glyconium metrum dicitur, quod constat
ex Spondeo, Choriambo & ultimo Trochæo vel

eodem Spondeo, commune hoc esse cum Heroo trimetro, quod constat ex spondeo, duobus dactylis, cunctis in promptu est. Item,

Mœcenas atavis edite regibus.

Apud eundem Lyricum, hoc Asclepiadeum metrum appellatur, quod constat ex dissyllabis primo & extimo, mediis duobus Choriambis. Hoc quoque par & cōmune esse Pentametro, ei dumtaxat, cui penultimus Anapæstus est, nemo dubitabit. Pari modo & Trochaicum iambico communione inter eos Tribrachi pedis misceri reperies, qui diuisione alternarum iambi & trochæi longarum subsistit, ut est,

Tibi vetus ara caluit aborigineo facello.

Hic pro trochæo tribrachus positus longa in duas breues soluta, tibi ve, vtriusque metri disciplinam tuetur, tibi, enim, hic pro vna syllaba longa accipitur, qui fit vt idem versus vtriusque conditione teneatur. Nam pari lege duæ breues, id est media atque vltima, in vnam longam coeunt, Iambum & Trochæum formabunt. Quid nunc de Proceleusmatico dixerim? qui ex omnibus breuibus subsistit, ut est ille versus Tetrameter Catalecticus,

Perit ab itaipedis animula leporis.

Nam fere metris omnibus misceri communisque haberi poterit pes, si eum per coniunctionem syllabarum ac temporum, prout vnius cuiusque metri conditio exigit, informare ac diuidere volueris. Pari ratione syllabarum diuisio vel connexio eandem metris varietatem dabit, ut,

Rei

Rei magnai publicai grati.

Nam si seductionem syllabarum ad vnitatem reuoces, vt sit, magnæ & publicæ, ex trimetro catalectico, Brachycatalectum trimetrum efficies. Per connexionem autem, id est cum duæ vocales non interposita consonante, media in vnam syllabam coguntur, idem effici, erit exemplo versus hic,

Cum te flagranti deiecit fulmine Phæton.

scilicet vt dissyllabum nomen ex trissyllabo fiat. Nam si connexa diducas vt sit Phaëton, heroo versui vltimus anapæstus adiungetur, ita fit vt admixtione vnius pedis diuersa metrorum genera misceantur. Versus quoque hendecasyllabus Saphicus varia scandendi diuisione diuersis inter se metris communis reddetur. Nam si ita percutias, vt primus in eo pes sit dissyllabus, dehinc dactylus residentibus tribus trochæis vltimis erit Ithyphallicum metrum, sin vero ita diuidas, vt primum Spondeum, dehinc Choriambum, post Diambum & syllabam colloces, erit Phalæcium, ut,

Postquam res Asiæ perit procellis.

Sicut quidam qui ea à se, vt supra ostendimus, distinguunt. Et quoniam hendecasyllabi mentionem fecimus, occasione admonente satis opportunum arbitror de speciebus eiusdem, quæ sunt ferme VII. ex vna eademque origine descendentes, breuiter dicere, quæ scilicet ex vtriusque, id est dactylicæ & Iambicæ metri permixtione, composita & copulata noscuntur. Initium autem ab eo versu

sumemus, cui Saphico nomen est, non ut ab ea in-
 uento, sed iugiter usurpato: è cuius fonte plurimæ
 species disparis figuræ prolabuntur. Huius prior
 forma ea lege taxabitur, qua primus in versu Spon-
 deus solenniter, post dactylus, dehinc & tres tro-
 chæi ponantur, è quibus Ithyphallico seu Phalæ-
 cio, ut supra diximus, nomen est. Instruendi ta-
 men sumus legem collocandi in exordio Spondei
 varie veteres custodisse. nam quidam & Trochæum
 & Iambum in ea sede collocasse reperiuntur, inter
 quos & Catullus est sub exemplis huiusmodi,

Cui dono lepidum nouum libellum,
 Arido modo pumice expoliturum.

Meas esse aliquid putare nugas.

Nam, Cui do, Spondeum: Ari, Trochæum: Meas,
 Iambum, tres diuisos pedes esse, quibus supradicti
 versus inchoantur, in dubium non venit. Huius
 hendecasyllabi species erunt septem. Feritur au-
 tem his commatibus, quibus & hexameter per To-
 mas, ut superius demonstraui. Ex quibus aut
 duo metra, id est, Heroum & iambicū ex se com-
 posita versum copulabunt, aut vnum supplemento
 sui generi integrum dabunt, ut puta,

Castæ Pierides meæ camœnæ.

Diuiditur sic secundum Heroum metrum, ut pri-
 or Spondeus, sequens dactylus a iuncto semipe-
 de Penthemimerem Tomen compleat, residua
 autem versus pars iambo assignetur, superfluente
 syllaba, quod est adæque penthemimeres. Hæc
 igitur duorum versuum principia, quæ copulata in

vnius

vnius versus formam venerunt, suo quoque metro
 compleri potuerunt, sic,

Castæ Pierides precor aspirate canenti.

Et fit herois, item,

Meæ camœnæ cœlitum testor genus,

Iambicus. item,

Carmen Pierides struunt sorores.

Ita complebitur,

Carmen Pierides pangunt memorabile Musæ:

Dehinc,

Struunt sorores Atticæ dirum nefas.

Hæc erit de hendecasyllabi prima species & diui-
 sio. Secunda vero recipit, ut superior, spondeum
 & dactylum non admisso semipede, ut supra, quo
 completur penthemimeres tome, dehinc tres tro-
 chæos, tanquam,

Siccas ducite machinæ carinas.

Nam si duobus Herois quartos pedes coniungas,
 erit versus hexameter, sic,

Siccas ducite iam læto cum carmine puppes.

Reliqua pars è tribus trochæis, machinæ carinas,
 suo metro, id est, Ithyphallico stabit. Item,

Pangunt carmina iam nouem sorores.

Hexametro complebitur sic,

Pangunt carmina tergemina memoranda sorores.

Resederunt tres trochæi, iam nouem sorores. Ter-
 tia autem diuisio latius patet, cuius exemplum,

Sulcos tunc retegunt comæ fluentes. Item,

Iamdudum tibi disserens probaui.

Nam si retrahas, fluentes, remanet,

Sulcos tunc retegunt comæ.

Quod est metrum, ut Grammatici, Choriambicum, ut Musici, Bachiacum siue Anacreontium syllabarum octo, & in hoc tam primæ quàm ultimæ duæ syllabæ incremento, magis quàm textui pedum necessariæ, ut putant, habentur. Quæ sunt hæ, initio, sulcos, in ultimo, comæ, superest, tunc retegunt, quo pes Choriambus efficitur, è longa & duabus breuibus & longa, quæ si forte breuis incurrerit, ut in illo versu,

Iamdudum tibi differens:

Nam di, syllaba in, dum tibi dis, qui est choriambus, inuenta, fiet longa positione, sequente alia, s, quia in versu habetur: post dis, vltima choriambi, ferens, hoc est differens: superest ergo superiori versui, cuius exemplum induximus, tunc retegunt, ut vides, pes medius Choriambus: pars autem prima in hoc versu, ut supra, pedum diuersitate variatur: nam & spondeum & iambum & trochæum admittit, vltima manente semper immobili, quam solus iambus obtinebit: ergo,

Sulcos tunc retegunt comæ.

Erit apud Horatium huiusmodi,

Intermissa venus diu.

Hunc quidam alio adiecto choriambo extendunt latius, tanquam,

Sulcos tunc retegunt ambrosiæ comæ,
duobus in medio choriambis positis: nam, sulcos,
& comæ, hic quoque & superius in augmento erunt: ita & illud apud Horatium,

Inter-

Intermissa venus missa venus diu.

Nam tam, inter, quam, diu, superfluunt metro, huius figuræ similis apud eundem versus in principio inuenitur sic,

Mæcenas atavis edite regibus.

Nam & in hoc duo medij Choriambi clauduntur: primo spondeo, extimo iambo, qui per adiectionem vltimæ syllabæ erit pentameter sic,

Mæcenas atavis edite regibus*.

Idem Phalæcus tres choriambos vno versu copulatos induxit, mutuatus id quoque ab Alcæo, ita ut tres dipodiæ choriambicæ extimis vtrinque simplicibus concludantur: ut,

Tu ne quæsieris, scire nefas, quem mihi quem tibi. Item,

Nullam Vare sacra vite prius seueris arborem.

Nam binis syllabis ex initio & fine detractis, supererunt tres reliqui choriambici: ex quo etiã Priapei versus origo manat, & huiuscolo seu commate adæque hendecasyllabus formabitur. Nam Heroi hexametri tres pedes, cum inciderit, interposita ut versus Priapeus exigit distinctione, eundem discernit, ut,

Cui non dictus Hylas puer, Dehinc, Et Lato-

Qui si inter se enuntiatione copulentur, hexametri versus tenorem integrum modumque præstabunt: nequaquã tamen disciplinæ ac dignitati Heroi respondentẽ, nam diuisio huius in secundo commate infracta paululũ ac mollior, receptis in versu primo & quarto spondeis, efficitur, ut apud Catullum,

Hunc lucum tibi dedico consecroque Priape,
quos distinctio occultat auribus. Nam si diuisione
metri Priapæi separentur, ita sonabunt apud Verg.

Fronde super viridi sunt Dehinc,
Nobis mitia poma.

Castanæ molles & Dehinc, Presi copia lactis.
Constat autem, vt supra diximus, duobus metris,
quorum prius est Glyconium octosyllabum, se-
quens Pherecratium syllaba diminutum, ita tamen,
vt nouissima Glyconij, id est, octaua syllaba lon-
ga sit, si natura breuis fuerit, velut,

Nereus vt caneret fera grato pyrra sub antro.
Igitur, quod hoc versu Priapi laudes plerique ca-
nendo profecuti sunt, Priapæum metrum nuncu-
parunt, quod genus hexametri adeo abhorret ab
Heroi lege, vt vtraque pars commatis nonnun-
quam trochæis & iambis, aut pro spondeo anapæ-
stis inchoetur, aut & cretico prius comma pro da-
ctylo terminetur, vt est apud Catullum,

Nam te præcipue in suis, Dehinc,
Hellepontia cæteris,

quando bina sunt cola, mora distinctio inter-
cedente; quod genus versuum apud græcos co-
mædiarum veterum scriptores plurimum est, &
magis apud eos qui Satyrica scripserunt, vnde à
nonnullis Satyricum prius vocabatur, verum po-
stea abiit in consuetudinem vt Priapæum appella-
retur. sub ea ergo percussione, de qua supra dictum
est, primi commatis diuisio & choriambus medio
subsistens versum ab hendecasyllabo profectum
declara-

declarabit, vt,

Sulcos tunc retegunt comæ. Item,
Iamdudum tibi differens.

Nam tale est, quale,

Cui non dictus Hylas puer.

Itaque si tanquam Glyconium diuiditur, erit pri-
mum comma octasyllabum, in quo prior spon-
deus, sequens choriambus, tertius tribrachus,
quod in Hexametrum Priapeum conuerti sic po-
terit: soluo choriambum, & nouissimam eius syl-
labam duabus vltimis breuibus coniungo, vt ex
choriambus & tribracho conficiantur dactyli duo,
erit colon hexametri, cui si Pherecratium hepta-
syllabum apposueris, hexametrum versum com-
plebis, in quo fit primus spondeus, secundus &
tertius dactyli, quartus spondeus, quintus dacty-
lus, sextus spondeus. nam,

Cui non dictus Hylas puer: Par est huic,

Hunc lucum tibi dedico,

octasyllabo, qui Choriambica compositione for-
matur. Sequens pars,

Et Latonia Delos, Heptasyllabo illi,

Consecroque Priape,

Quæ spondeo & dactylo & trochæo subsistit.
Cum ergo huiusmodi pedum compositio con-
currit, fit ambigua, vt ostendimus, versificatio, vt
& ad dactylicum transduci possit, & ad hæc quæ
diximus Choriambica, continuatis duobus Epodi
commatibus elatum in ea ode cuius initium est,

Quis multa gracilis te puer in rosa.

Nam præpositis duobus versibus duplici Chori-
ambo subsistentibus, subicit ἐπιπῶδες duas, quæ mu-
tato, contra quam auctor disposuit, ordine, Pria-
peum versum complebunt ita,

Grato Pyrra sub antro

Cui flauam religas comam.

Horum præposterato situ memorati versus forma
præstabitur sic,

Cui flauam religas comam, grato Pyrra sub an-
tro. tanquam,

Hunc lucum tibi dedico, consecroque Priape.

Dehinc cætera a smatis decurrunt eadem Strophe.
Sane nihil hic oberit si primi commatis vltima syl-
laba positione sit longa, vt est, comam grato Pyrra,
nam excipitur a, g, & r, quia semper vltima syllaba
& in integro, & in commate omni lege fit libera,
seu quia prius comma nonnunquam, vt supra di-
ximus, cætico concluditur. Quarta nunc à nobis
species inchoabitur, non vt superior perplexa nec
multiplex, cuius tome sub hoc versu talis existit:

Carmen suaue dedistis o camœnæ.

nam detracto primo commate versus Heroi, su-
pererit dipodia, o camœnæ, hæc incisio tertio
trochæo terminatur sic,

Carmen suaue dedistis.

De qua in primo volumine plenissime, inter alias
Heroi versus tomas, diximus, cuius & exemplum
apud Vergilium nostrum ostendimus hoc,

Infandum regina.

nā residua sibi parte adiecta, hexametrum dabit, sic,

Carmen

Carmen suaue dedistis olympiades mihi musæ.
Similiter,

Infandum regina iubes renouare dolorem.

Adiecta enim trochæo tertia breuis pedem da-
ctylum metro reddidit, ac sua versum lege con-
clufit. Quinta autem hendecasyllaba species ad-
mixto Anapæsto Sotadium facit metrum. Nam si
ante Dactylum qui post Spondeum solenniter in
hoc versu ponitur Anapæstum inferas, Sotadium
metrum propria modulatione formabis, erit ex-
emplo versus hic,

Carmen Pierides dabunt sorores.

Huic si adieceris, lepidæ, qui est Anapæstus, inter
Spondeum & dactylum, sequentibus tribus tro-
chæis, quibus hendecasyllabus clauditur, fit versus
Sotadius, ita,

Carmen lepidæ Pierides dabunt sorores. Item,

Cantum Pan age carmen ede canna.

Infero spondeo & dactylo medium anapæstum,
qui est, docilis, fiet Sotadium, sic,

Cantu docilis Pan age carmen ede canna.

Sextus eadem diuisione hendecasyllabus erit talis,

Iuere segetes meum laborem.

Quali tome sit iste compositus explebo. Nam, iu-
uere, caput est incipientis hexametri, adiectis e-
nim reliquis pedibus versus complebitur ita,

Iuuerunt mentem versus & carmine dolci.

At id quod versui superest,

Segetes meum laborem,

metrum erit Anacreontion, si quidem eo frequen-

tissime vsus fit, sed & apud nos plerique, inter quos
Arbiter satyricon ita,

Triplici vides vt ortu

Triuiæ rotetur ignis,

Volucrique Phœbus axe

Rapidum pererret orbem.

quod constat, sicut plerique asserunt, ex Ionico
quem ἀπὸ μέτρων vocant. Nam si versui, quem su-
pra posui,

Segetes meum laborem:

pro prima parte eius quam detraxi, iuuerunt, ap-
ponam clausulam huiusmodi, o quam releuarunt,
fiet versus Ionicus ἀπὸ μέτρων, ita,

O quam releuarunt segetes meum laborem.
qui constat ex basi Ionica & Trochæis tribus. Si-
militer & quem supra posui,

Triuiæ rotetur orbis:

si quis adiiciat, cernis quotiens hic, dabit integrum
Ionicum huiusmodi,

Cernis quotiens hic Triuiæ rotetur orbis:
quod colon Pyrrichium, & trochæos tantum tres
recipit, velut,

Volucrique Phœbus axe

Rapidum pererret orbem. ita,

Segetes meum laborem.

nam parili modo solent pedes Ionici vt binas, ita
singulas syllabas alternis vicibus, aut longis bre-
ues, aut breuibus longas annectere, versusque
basi Trochaica frequentius claudere, ex hoc Gal-
liambicum quod vocant metrum, emollita ac tre-

mula

mula modulatione formatum manare dinoscitur.
Nam si comma superioris versiculi repetendo ge-
minaueris, ita tamen vt sequentis clausulæ vlti-
mam syllabam subtrahas, versus Galliambicum
efficies sic,

Segetes meum laborem, segetes meus labor.

Hoc genus metri maxime desiderat separari in
duas clausulas, tanquam,

Super alta vectus Atis: dehinc,

Celeri rate maria.

Quod quidam Metroiacum, eo quod deum ma-
tris cantibus aptum sit, meritoque etiam Galliam-
bum à Gallis ministris deæ, appellarunt: vt versus
isti testantur, (dos.

Tremulos quod esse Gallis habiles putant mo-
sonat hoc subinde cantus Cybeleium nemus,

Nomenque Galliambis memoratur hinc datum.

Recipit hic versus sub alia percussione Anapæstū
aut Spondeum in prima sede, dehinc duos Iam-
bos, interdum & Tribrachyn. Nam superfluit
tam in hoc quàm in sequenti colo nonnunquam
semipede, id est, vna syllaba, quod colon aut pa-
riambo & basi Trochaica, aut Tribrachi constabit.
Supereft hendecasyllabi tome nouissima, quæ erit
septima. constat autem ex hipponacteo trimetro
scazonte, quem claudicare supra ostendimus, vt
& ipso declarabitur, tanquam,

Carmen nouum facit Sabino.

Hic in hexametrum vertetur sic,

Carmē nemo facit claro quod par sit Homero.

Supereſt claudum illud, meo Sabino, cui ſi primas ſui generis partes adijcias, erit verſus iambicus tetrametrus ſcazon, talis,

Phaſelus ille quem vides facit meo Sabino.

Nam ab ima parte imminuta ſyllaba claudus effectus eſt. Accedit his octaua ſpecies quam iccirco ſuperioribus VII. coniunximus, quia ex heroo tantum verſu informata diſcoſcitur. Eo dumtaxat in quo primus Spondeus, ſequens ſit Daſtylus, demtis è medio tribus vel quatuor ſyllabis, recedentibus vero in vltima verſus parte duobus pedibus, Daſtylo & Spondeo ſeu Trochæo integrum ſenſum complentibus, ita,

At regina graui faucia cura.

Diuulſo è medio verſu, iam dudum. Item,

Sic fatur lacrimans mittit habenas.

Et tandem Euboicis labitur oris.

Quod etiam in tertio volumine breuiter attigimus. Diſcuſſis ſeptem ſpeciebus hendecasyllabis, quiq; ex eo per coniunctionem Heroi atque Iambici procreantur, ſupereſt vt de Phalæcij etiam Saphici tam cognatione quàm differentia, quæ pedum inter ſe tranſmutatione gignitur, pauca dicamus. Scimus hendecasyllaborum ſpecies quidem, vt oſtendimus, plures, genera autem è quibus eadem deriuantur, duo, Phalæcium & Saphicum, quorum diſcretio Phalæcij lege ac ratione compoſita erit talis. Notum eſt hendecasyllabum Phalæcium Spondeo, Daſtylo, dehinc tribus Trochæis ſine tenus continuatis ordinari, itaque ſi è

tribus

tribus Trochæis vnus abſtractus primus in verſu ponatur, dehinc Spondeus, poſt Daſtylus, vltimis duobus Trochæis locatis, haut diſpar verſus ſubparili lege formabitur, quàm ille Saphicus reperitur. nam prima pars verſus Saphici, vt,

Iam ſatis terris niuis.

Sub alia, quàm ſupra oſtendimus, ordinatione recipit Trochæum, Spondeum, Daſtylum. Sequens comma, Atque diræ:

duos Trochæos. Cui tam aptæ ac manifeſtæ rationi vna difficultas occurrit, quod non ſemper in verſu ita poſſunt verba copulari, vt reuulſus Trochæus integer, capiti verſus, vt demonſtrauimus, adijciatur. Etenim ſub hac lege nullum à ſupra dicta ratione diſparem comprehendas, cum hi omnes hendecasyllabi, vt ſit Trochæus primus ſequentibus Spondeo & Daſtylo dehinc duobus Trochæis extimis, digeſti videantur, efficientes Saphicum metrū, denique vt exemplum in quo Trochæus ſeparetur afferamus, ſit verſus huiusmodi,

Curſorem tibi vendo Ruſe ſeruum.

qui eſt Phalæcius, cernis hic, Ruſe, Trochæum ſecundum ab vltimo nulli cohærere, quem ſine mutilatione verſus aut metri poſſis tollere, ſeu ponere, qui ſi præponatur verſui, huiusmodi formam hendecasyllabis dabit,

Ruſe curſorem tibi vendo ſeruum.

Vt eſt apud Flaccum,

Iam ſatis terris niuis atque diræ:
qui eſt Saphicus, quem Trochæum ſi ad ſedem

suam reuocaueris, Phalæcium ex Saphico rursus efficies. Et vt per ordinem ipsorum Trochæorum iuxta legem Phalæcij, è carminibus Flacci exempla proferamus, sit nobis ille versus, qui est primus apud eundem in vltima ode,

Mitte sectari rosa quo locorum.

Priorem Trochæum liberum vides, Mitte, hic si mutato ordine iuxta legem Phalæciorum primus è tribus trochæis qui sunt post dactylum collocatur, longe diuersam inter se figuram, cum sit idem atque integer, dabit, sic,

Sectari rosa mitte quo locorum. Sicut illud,

Crispe Salusti, nisi temperato:

Salusti nisi Crispe temperato.

& cætera, scilicet primi è tribus trochæis. Item secundus trochæus ab vltimo pari ratione positus, capitiq̄ue versus abstractus, similem formam dabit, sic,

Ales in terris imitaris almæ:

In terris imitaris ales almæ. Item,

Pone me pigris vbi nulla campis:

Me pigris vbi nulla pone campis. Similiter,

Arbor æstiuâ recreatur vmbra:

Æstiuâ recreatur arbor vmbra.

Nec non tertius trochæus, id est vltimus, simili ratione collocatus, eadem versum impleuit, sicut,

Ire deiectum monumenta regis:

Deiectum monumenta regis ire. Item,

Serus in cœlum redeas diuq̄ue:

In cœlum redeas diuq̄ue serus. Item,

Læta

Læta quid pubes hedera virente:

Quid pubes hedera virente læta.

Quarum specierum plurima exempla sunt. Accedit his & illa species non absimili modulatione composita, vt est apud eundem,

Nota quæ sedes fuerat columbis. Item,

Vile potabis modicis fabinum:

Potabis modicis vile fabinum.

Quod genus in xxxii. exemplis repertum est, hic enim non, vt in superioribus, tres in vltimo trochæi nectuntur, sed spondeus, pyrrichius & trochæus locantur, velut,

Nota quæ sedes fuerat columbis.

De quo formatur,

Quæ sedes fuerat nota columbis.

Primum comma,

Quæ sedes fuerat,

constat Spondeo sequente dactylo, superest syllaba, rat, huic adiuncta, no, prima sequentis clausulæ syllaba spondeum medium dabit, dehinc, ta co, pyrrichius ex vtraque breui insertus inter spondeum vel trochæum vltimum, qui est, lumbis, disparem speciem tam Phalæcio quam Saphico metro figurabit. Nam cum & numero & modulatione cōgruat, mutatione tantum pedū innouatum est.

DE CVRSI omnibus ab incunabulis artis huiusce generibus metrorum, quibus magni authores tam nomina dederunt, quàm etiam frequēter vsi sunt, non ab re arbitror ante conclusionem elucubrati à nobis opusculi, prius quam de metris nostri Ly-

rici carmine comprehensi, quæ singulatim per ordinem ad explendum studiosi lectoris animum persequi placuit, exordium faciam, ita attingere, quod nonnulli tanquam eruditioni & profundæ scientiæ necessarium sollicita sciscitatione percontantes exigunt, vnde metrorum atq; omnis musicæ elementa processerint, quo parente, qua origine, quibus exordijs initia earûdem artium cœperint. Nec hoc satis, ijdem rogant quis articulatam vocem à confusione discreuerit, quis primus syllabas in enuntiando denso seu leni spiramine extulerit, qui longum tempus aut breue in elocutione vocis nostræ captauerit? Quæ qui anxie scire desiderant, dicant velim, quis nobis in lucem editis gestare, reptare, ridere, quod propriû hominî tantû est, quis alimoniam lactis rictu oris appetere, quis sonum confusæ vocis in verba deducere, seu pro statu erga se mentis atq; animi, nunc fletû ac mærorem, nunc alacritatem lætitiâque concipere, auctor ostēderit? Nam hæc quoq; sciscitationibus eorundē parili propositione cōsentanea occurrūt. Quibus tamen sic respondendû est, naturalem nobis hanc musicam haud alias quàm affectus animo, corporiq; motus existere, eamq; parente natura simul cum luce vitæ sensuiq; traditam, cumq; ipso homine editam exortamq; coalescere ex his quæ in promptu posita sunt, facile intelligi. Namque vt opinioni nostræ etiâ sub exemplis respondeat fides, nonne multa videmus animalia mox vt lucis usuram hauserint, prout natura sui cuique est,

alia

alia pennarum vibratione sublimè aëris petere, alia sub aquas natandi meatu varie peruagari, hæc per terrâ tardo incessu, illa in saltû cursumq; procedere, nec minus ad alimoniam vitæ, aliam matris vbera, mox vt elambente matris lingua deterfa sint, rictu oris attrahere, hæc visceribus, illa herbis ali, quædam frugibus aut pomis arborum enutrirî. vnde procul dubio intelligi datur adæque nobis parente eadem tam ad Rythmorum conceptionem, quam ad Metrorum numeros ac tonos musicæ, sed & momenta temporum in enuntiatione vocum, insitum ingenio, ac sensibus studium, non doctrina sed natura haustum ac traditum. Cumq; in ipso pariter homine procreatur id postea obseruationis struente magistro, maiores nostros, quod mentis iam pulsu, & naturali conceptione collegerant, arti ac disciplinæ tradidisse; denique ad modulanda eadem, sensû quodâ animiq; motu instruente nos velut magistro ducimur, gestusque etiam corporis imagini modulationis congruos incitati affectibus commodamus: etenim in accētu vocis dispar sonus non disciplina sed natura editur, ita etiam rythmi & mele variandis cantus modulationibus, prius suapte natura quàm artis structione gignuntur. His accedentem & consentaneam Theophrasti opinionem eruditioribus literis haut prætermiserim, asserentis, incentium & non paruos impetus his, quibus cordi est carmen, per mele metrorum numeros ab affectionibus, quos Græci *πάθη* appellant, suggeri, &

quibusdam incalescentis ingenij stimulis incitari, quibus sublimis coturnorum canorum & Tragici ponderis carmen edatur, quorum tripartitam virtutem, in isto dumtaxat à dicendi opere ita discernit, inducit enim voluptatem, iram, enthusiasmon, veluti sacri furoris instinctum, vt Græci vocant, quo fatidici vates spirant. Neque abnuo sed magis approbo, nonnihil etiam his affectibus omne ingenium, cui musici carminis studium est, natura dumtaxat prius ad id informante, natura, vt supra dictum, parente ac principe, in maius extolli, satisfique prospere sub huiusmodi mentis incitatione prouenire. Namque insitam & ingenitam nostris sensibus musicam ijdem instruunt, adiuuant, & in maius quàm ingenij cuiusq; virtus est, prouehunt, ita esse atque ita haberi, docet eorum exemplū qui sacri furoris spiratione, vt diximus, enthusiasmon, pleniore intonat tragico, nec sonat mortale quod canunt, de quorum mente ac similitudine poëtae apud nos, velut eodem calore excitati ad pangenda carmina, Vates appellati perhibentur. Plato etiā huius rei testis est, asserens nunquam poëtam carmen posse memorabile sine instinctu furoris asferre. Vnde apud veteres plerique poëtarum oratorumque ad excitandum calorem animi vino haurito, velut in centiuo torpentis in se naturæ, seu senioris ingenij, cum id sibi pulchre prouenisse experto didicissent, scripturam propositi operis aggrediebantur. Testis huius rei etiam Horatius apud quem legimus,

Narratur

Narratur & prisca Catonis

Sæpe mero incaluisse virtus.

Nec minus voluptate in opere musico alacriora redduntur ingenia, Quid enim relaxatis ab ea nostris sensibus quàm canere cordi est? Ira etiam plurimum ponderis in hæc studia sensibus nostris dabit, excitato enim ardore stimulis suis ad calorem ingenij præsertim, suscepto operis facilisque præstabit. hinc credo fieri vt amantibus feliciter tumquam alias carmen metricum, pulchriusque respondeat, cum æstuantibus animi affectibus incitantur, vt ignarum artis, ausim dicere, amor docere, amor poëtam facere possit: qui fit vt his de quibus dictum est, veluti communi sensu eodemque studio, solenne ac familiare sit fortunas suas metro potius carminum canere quàm stilo prosæ orationis asferre. Quanquam hoc idem omnis animi passio parili motu instinctuque percita vel potissimum affectet, vt se ad metrorum cærimonias, sicut plerunque cernimus, conferat, licet sciam nonnunquam etiam citra affectum & impulsiones huiusmodi, metrorum facetias sponte nos ac simplici voluntate sectari: itaque siue hæc ad delinimentum animorum, siue ad oblectamentum aurium, seu leuamen laborum, sibi mortales procurare studium habuerint, non anxie sciscitauerim, hoc tantum persuadere contentus omnem hanc, de qua nobis sermo est, musicam à primordio nascentibus cum anima sensuque infusam ac traditam, postea obseruationis struente magisterio expolitam, nonnihil

etiam his affectionibus, ut Theophrastus asserit, incitari, vigere pulchriusque procedere, sed super hoc haecenus, nunc ad institutum ut promissimus ordine reuertamur.

DE METRIS HORATIANIS.

QUM sciam in secundo volumine, in quo de prototypis tractauimus, nouem omnia nos metrorum genera sub eorundem præceptis & disciplina comprehendisse (neque enim quicquam ad artem metricam pertinens in rerum natura reperiri poterit, quod non iisdem uti elementis nouem iuxta traditionem veterum inuestigatum collectumque sit) tamen promissi memor, quod de Horatianis metris specialiter prosequendis meam fidem obstrinxeram, ne per conuentionem id præterisse arguar, ut potero singula quæque percurrâ quæ noster Lyricus cum epodis attigisse dinoscitur. Nunc enim singulis singulas, nunc binas geminis versibus subdidit, nunc tribus vno cōmate epodis respondit, plerumque binis, verum diuerso inter se metro & compositione figuratis.

PRIMA igitur eiusdem Ode monocolos inducitur, id est, vnius metri qualitate composita, sed & ea quæ vnius generis habent cola eadem appellatione censentur: *δίκολοι* autem duorum, similiter *τρίκολοι* vel *τετράκολοι*, trium seu quatuor generum diuersitate subsistunt. Prima ergo Ode, ut quidam putant,

putant, à pentametro nascitur, per detractionem syllabæ breuis quæ erit ante penultimâ, subsistens metro asclepiadeo duodecasyllabo, ut,

Meccenas Atauis edite regibus.

Alij formatum id metrum putant, ab hendecasyllabo per adiectionem vnius syllabæ, qua demta fiet hendecasyllabus, ut,

Meccenas atauis edite regi.

Feritur hoc metrum vel per singulos pedes, ut sit primus spondeus, secundus trochæus, tertius iambus, quartus dactylus, quintus dactylus vel creticus, si in longam desinat. vel per dipodias, ut constet duobus choriambis medijs, inchoante versum spondeo, claudente autem iambo vel pyrrichio vel pariambo. Composita est hæc Ode sine Epodo. Sane, ut breuiter quotiens hoc, id est Asclepiadeo metro, Horatius vsus sit, scias, vsus est primo libro duodecies, secundo libro semel, tertio undecies, quarto septies: quorum exempla inducere operi tardum, & apud eruditos superuacuum, accepta semel a smatum structione, videretur.

SECUNDA Ode cum Epodo Saphicum metrum continet. quod cum sit Alcaicū Saphicum, tamen hendecasyllabū à numero nūcupatur, & quod eo frequentius vsa sit Sapho quam Alcæus repertor. Huius mēsurā quarto colo concluditur, tres enim qui sunt pares hendecasyllabi existunt, ita,

Iam satis terris niuis atque diræ
Grandinis misit pater, & rubente
Dextera sacras iaculatus arces.

Vides sensum deesse nisi Epodo claudatur, quid enim fecerit Iuppiter audiendum est,

Terruit urbem,

implevit expectationē sensus. quod metrum vocatur dimetron epicon. ideo quod duos pedes heroes accipiat, dactylum, Spondeum. Quidam pentasyllabon epodon dixerunt, à numero syllabarum alij trimetron Epicon. Est enim pars tertia Epici versus, vt,

Arma virumq; cano Troiæ qui terruit urbem.
Monostropha vocantur hæc carmina, quoniam ad primam strophē cætera respondent, neque vlla interuenit epodos quæ à prima strophe, id est, epodi clausula, discrepet. Tres autem versus inter se congruentes constant & duobus commatibus, quorum quod antecedit ex Trimetro Trochaico Catalectico subsistit, vt est illud,

Est celer phaselus ille quē videtis hospites.

Residuum autem,

Niuis atque diræ,

erit caput trimetri iambici: quem integrum reddes si cæteras ei partes sui generis copularis, ita,

Niuis atque diræ densior nimbus fuit.

Hic Anapæstus primum locum pro Spondeo obtinebit, vt nonnunquam reperimus, residua pars erit Iambici versus. Ordine autem hemistichiorum mutato, adiectis duabus syllabis, erit trimeter, sic,

Niuis atque diræ iam satis terris dedit.

Quartus enim versus hexametri clausula est qua
carmen

carmen Saphicum dimetrum pentasyllabum superius inter exempla posuimus. Ita,

Primus ab oris, Troius Heros,

Perdita flammis, Pergama linquit.

Quibus numeris frequenter Sapho carmina composuisse cognoscitur. Feritur hoc metrum vel per simplices pedes, quorum primus dactylus, secundus spondeus, tertius pariambus, quartus trochæus, quintus spondeus, vel trochæus: vel per dipodiam, vt constat epitrito secundo quem & hippium dicimus, dehinc choriambo, vltimo bachio vel amphibrachy, cuius exemplum apud Horatium,

Crispe Salusti, nisi temperato.

Hoc metro, id est hendecasyllabo Saphico, vsus est primo libro nouies, secundo sexies, tertio septies, quarto ter. Item epodis epici dimetri, primo, nouies: secundo, sexies: tertio, septies: quarto, ter.

TERTIA Ode Lyricorum asmatum:

Sic te diua potens Cypri.

Hoc metrum Glyconium, quod & Anacreontion dicitur, detracta syllaba Pherecratium, adiecta nouissima hendecasyllabon Saphicon erit. Connectitur autem spondeo, choriambo, & dissyllabo, vt euenerit. Est vero hexametri pars prior, cui si residuam clausulam adieceris, fiet versus hexameter, ita,

Sic te diua potens Cypri ferat aëre toto.

Et est nunc προπροδιδόν, id est antecantatium, nam quotiens maioribus metris minus aliquod subne-

neclitur, ἐπαδὸς dicitur, quotiens vero comma vel colon integro metro proponitur, προπαδικὸν appellatur. Etenim quemadmodum supra ostendimus epodo sententiam claudi, ita in his manifestum est suspensam teneri, nam nisi subsequens metrum adiungatur, versus claudicabit. sequitur,

Sic fratres Helenæ, lucida sidera.

Asclepiadeum metrum, de quo in prima ode satis dictum est. Glyconio autem metro usus est libro primo duodecies, secundo semel, tertio decies, quarto quinquies.

QUARTA ode lib. primi cū epodo prolata est ita,

Soluitur acris hiems grata vice veris & fauni.
Hoc metrum vocatur Archilochium, ut ab eo inventum. In quo prius quærendum est, utrum simplex an compositum sit. Quod si simplex esse dixeris, vocabis Hexametrum Heroum περιτροσυλλαβίς, nam tertia ab ultima versus syllaba detracta faciet Heroum, sic,

Soluitur acris hiems grata vice veris & oni.

Nec tamen credas idem esse περιτροσυλλαβίς, quod est hypercatalectum, ex eo quod in utroque una syllaba reperitur, hoc enim distabunt quod περιτροσυλλαβίς inserta protenditur syllaba, hypercatalectum autem decursis sex pedibus superfluens invenitur, ut,

Iamq; iter emensi turres ac tecta Latinorum.

Hoc enim metrum ita stabit si novissima syllaba recidatur, ut,

Iamq; iter emensi turres ac tecta Latino.

et

et capiti sequentis versus adijciatur. item,

Omnia Mercurio similis vocæq; coloræq;. qui & hypermetri dicuntur. Igitur quando ostendimus esse id simplex, iam, quod magis reor, etiam compositum demonstramus:

Soluitur acris hiems grata vice veris & Fauoni.

Copulatur versus quem diuidimus,

Soluitur acris hiems grata vice. Ut,

Saltantes satyros imitabitur.

Comma autem quod superest Ithyphallicum erit è tribus trochæis, ut nouimus,

Veris & fauni.

Hic etiã subditus loco epodi versus, in quo prima pars Iambica est adæque tres trochæos in ultimo ut superior recipit. Nam, trahuntq; siccas, portio est Iambi superfluente femipede, cas, quæ efficit penthemimeren tomen. Neq; enim hic catalectica est, nam diximus catalexin esse cum legitimum metrum aut pedem è Syzygia, aut syllabam è si nplici pede amittit, hic enim superfluunt. Ergo & hic sibi coniungit tres trochæos, sic,

Machinæ carinas.

Qui tamen possit & scazon trimetros videri. nam si per duas Syzygias à prima parte versum diuidas, id est,

Trahuntq; siccas machinæ:

clauditur antibachio pede, qui est, carinas. sed quando parem formam idem Archilochus videtur induxisse adijciendo maiori syllabam, & detrahendo minori, quo vterq; tribus trochæis claudet-

retur, satius est Iambico commati,

Trahuntque siccas machinæ,
eosdem trochæos adiungi, quàm post geminam
eius dipodiam antibachium ultimum poni, ut vtri-
usque versus clausula vna lege teneatur. Etenim si
superiori vnam demseris & inferiori addideris syl-
labam, hic trimeter Iambicus, ille Heroicus hexa-
meter fiet, hoc modo,

Soluitur acris hyems grata vice veris & oni,

Trahuntque siccas machinæ carinulas.

Annota sane hoc metrum semel apud Horatium
esse positum.

QVINTA Ode tria genera habet, nam priores
duo versus Asclepiadei sunt, tertius Pherecratius,
quartus Glyconius, sic,

Quis multa gracilis te puer in rosa

Perfusus liquidis vrget odoribus,

Grato Pyrra sub antro,

Cui flauam religas comam.

Sed de prioribus duobus qui sunt Asclepiadei, &
Glyconio, qui quarto loco est, supra diximus.
Nunc Pherecratium inspiciamus, & est heptasyll-
labus. Epigramma composuit. Hoc metrum con-
ficitur aut per singulos pedes, id est spondeo vel
dissyllabo, & choriambo & vltima syllaba. Huic si
Glyconium præposueris, Priapeum facies, sic,

Cui flauam religas comam, Grato Pyrrha
sub antro.

Pherecratio vsus libro primo quater, tertio bis,
quarto bis.

SEXTA

SEXTA ode cū epodo conficitur asclepiadeis tri-
bus, quarto Glyconio, de quibus iam diximus, sic,

Scriberis Vario fortis & hostium

Victor, Mæonij carminis alite,

Quam rem cunq; ferox nauibus aut equis,

Miles te duce gesserit.

Quæ compositio τετράκωλον εροφή dicitur, eo quod
quarto versu vertatur, quo periodus clauditur,
vsus est hoc genere carminis nouies.

SEPTIMA ode adæq; cum epodo prolata, He-
roicus habet versus. Nam hexametro epico tetrame-
trum eiusdem generis habet subnexum, id est du-
obus pedibus imminutum, quod Archilochium
dicitur, vt,

Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenem,
dehinc epodos,

Aut Epheson, bimariseve Corinthi.

Cui si duos pedes vltimos adijcias, fiet hexame-
trus, sic, (no.

Aut Epheson bimariseve Corinthi mœnia cer-
OCTAVA Ode similiter cum epodo dimetros,
quod tamen πρῶτον ἐκόν factum est, nam maiori me-
tro minus prælatum est, quod constat ex choriamb-
bo & bachio. Hoc quoq; carminis genus dicolon
ab Alceō lyricus noster accepit, quod est huiusmo-

Lydia dic per omnes, (di,

Hoc deos vere Sybarin cur properes amando.

Prior versus, vt diximus, ex choriambo & Bachio
à breui incipiente, sequens è tribus Choriamb-
bis adæque claudente versum Bachio, subsistunt.

Quod metrum vtrum errore seu studio poëtae fecit quam ratio est processit? Nam fecit illud asperius, vno immutato pede in principio secundi versus, pro Iambo enim spondeum induxit, sic hoc deos ve, quem choriambum esse conuenerat. Nam versus authore Alcæo è tribus choriambis & Barchio, in quo catalexis est, clauditur, qui erit, hoc deos vere Sybarin, cur properes amando. Etenim si imitatus esset Alcæum, ita protulisset, hoc deum veneror, tamen eius si non studio factum est, habet excusationem, quod continuo carmine id genus tuetur, quod duobus cernimus versibus, & legem quam ipse sibi casu aliquo dixerat, vsq; ad ultimam a smatis partem obseruando produxit. nec vsus hac metri specie nisi semel inuenitur.

NONA Ode tribus generibus composita, est ex quibus duo primi versus erunt Alcaici hendecasyllabi, sequentes duo disparis metri, sic,

Vides vt alta stet niue candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
Siluæ laborantes, geluq;
Flumina constiterint acuto.

Primus ex Syzygia Iambica & semipede, dein syl-

Vides vt alta, (laba,
ascitis sibi duobus Dactylis, in hoc,

Stet niue candidum,
versum implebit. Idem & secundus, sic,

Soracte, nec iam sustineant onus.

Tertius autem erit dimeter cum semipede in syllaba, ita,

Siluæ

Siluæ laborantes geluq;

Trimeter Iambicus fiet, si adijcias, frigido, sic,

Siluæ laborantes geluq; frigido.

Nam sesquipede minor est ab Iambico, qui amphimacri adiectione completus est. Quartus duobus dactylis currit cum trochæo & spondeo, ita,

Flumina constiterint acuto.

Qui potest videri mixtus ex duobus metris Epico & Trochaico, inter quos semipodia syllaba posita Heroi Tetrametri Archilochus metrum impleuit, tanquam, Flumina constiterint & acuto.

Ex quo supra epodum inductum ostendimus, sic,

Aut Epheson, bimarisiue Corinthi.

Qui adiectis duobus pedibus fiet hexameter, ita,

Maxima sic cito flumina constiterint & acuto.

Recipit & alteram diuisionem vt ad duos dactylos & semipedem, qui est pars dimidia pentametri, adijciatur nunc creticus nunc amphibrachus, quia non semper in longa syllaba, sed interdum & in breui desinit. Hendecasyllabis igitur Alcaicis vsus est libro primo septies, secundo decies, tertio decies, quarto ter. Idem dimetris Iambicis hypercatalecticis, vt hic,

Siluæ laborantes geluq;

vsus est libro primo septies, secundo decies, tertio vndecies, quarto ter. Trimetris quoque epicis hypercatalecticis, vt est hic,

Flumina constiterint acuto.

Vsus est libro primo vii. secundo x. tertio xi. quarto ter.

DECIMA Ode cum epodo est, cuius initium,
Mercuri facunde nepos Atlantis.

Constat hendecasyllabō Saphico, de quo in secū-
da ode libri primi plenissime differuimus, qui est,
Iam satis terris niuis atque diræ.

Huius mensura quarto colo cōcluditur, tres enim
qui sunt pares hendecasyllabi existunt, qui epodo
clauduntur, quod d metrum vocatur dimetron epi-
con, ideo quod duos pedes Heroos accipiat, da-
ctylum & spondeum. Monostropha autem vocā-
tur hæc asmata, de qua ad primam stropheu cæte-
ra respondent. Idem & de duodecima ode dictū
sit: quæ constat adæque hendecasyllabo Saphico,
cuius initium,

Quem virum aut heroa lyra vel acri.

VNDECIMA Ode lyricorum asmatum:

Tu ne quæsieris, scire nefas, quem mihi quem
tibi.

Hoc metrum quidam inter prototypa, id est, pri-
miformia volunt accipi, & appellant antispasticon
ἑκκαίδεκάσῦλλαβον Saphicon, quidam à choriambico
deriuatum asserūt. Nam ferūt omne Asclepiadeū,
accepta choriambica syzygia, id est, vt tres iam-
bos copulatos habeat sicut hic, facere antispasticum,
quod ita percutiatur, vt habeat primo loco epitri-
tum, quem & hippium dicimus, quartum, dehinc
duos antispastos, vltimū dijambum, versum clau-
dentem, qui nonnunquam dibrachy in fine posi-
to in pæona secundum conuertetur, contra si de-
trahas inter duo Asclepiadeum, sic,

Tu

Tu ne quæsieris quem mihi quem tibi. Item,
Nullam, Vare, sacra vite prius seueris arborem.
Quarto etiam libro semel, ita,

O crudelis adhuc & Veneris muneribus potēs.
TREDECIMA Ode libri primi:

Cum tū Lydia Telephi.
cōstat ex Glyconio, quod & Anacreontion dicitur,
Sic te diua potens Cyprī. (vt,
Conficitur autem spondeo, choriambo & pariam-
bo. Huic pro epodo subiungitur Asclepiadeum, de
quo similiter in prima Ode dictum est, sic,

Mæcenas atavis edite regibus.
subsistens duodecasyllabo versu. Verum quid at-
tinet nos de his metris, de quibus iam dictum est,
sæpius loqui? cum præcedentium ideo exempla
posuerimus, vt ex illis reliqua possemus agnoscere.
Ergo si qua noua metra obuiam venerint, similiter
discutientur. Nam omnes fere Odæ in subsequen-
tibus libris iisdem metris subsistunt, exceptis per-
paucis admodum, è quis in secundo libro Ode
xviii, cuius initium,

Non ebur neque aureum.
nam nouum hoc metrum de quo nondum apud
Horatium tractatū est, continet. Est autem ab Al-
cæo sumptum choriacum heptasyllabum, subdito
hendecasyllabo iambico Archilochio. etenim,

Non ebur neque aureum,
erit Trochaicum, proepodicum, Dimetrum, Cata-
lecticum, quod accepta in principio breui syllaba
iambicum epodum faciet, sic,

P 5

Da non ebur neque aureum.
 Penultima autem detracta phallicum reddet, ita,
 Non ebur neque aurum.
 Dimetro vero subnexo, ut,
 Beatus ille qui procul, non ebur nec aureum.
 versum dabit ex quadrato compositum. Aut si è
 principio creticum retrahas, non ebur, cuius ter-
 tia positione longa est, sequitur enim, n, littera, erit
 Trimetri Iambici prima portio, nec aureum. Inse-
 quens autem versus metrum habet iambicum cata-
 lecticum Archilochium, ita,
 Mea renidet in domo lacunar. Nam,
 Mea renidet in domo,
 dimetrum est, lacunar, claudicat. huius exemplum
 apud eundem est,
 Trahuntque siccas machinæ carinas.
 quo metro semel tantum usus est. Feritur prior
 versus ditrochæo, deinde dactylo vel amphima-
 cro, sequens autem diiambo, ultimo bacchio, qui
 recipit & alteram diuisionem. Nam, mea renidet,
 portio est Iambi superfluente semipede, det, quæ
 efficit penthemimerem tomen, dehinc tres tro-
 chæi versum complebunt, ita, in domo lacunar.
 Libro tertio, metra omnia fere aut Alcaica, aut Sa-
 phica, aut Asclepiadea, aut certe ea sunt de quibus
 supra disseruimus, præter id quod in duodecima
 Ode inuenimus, quod est Ionicum ἀπὸ ἐλασσόν, ut,
 Miserarum est neque amori dare ludum.
 Per totum autem asma diligentia poetica id obser-
 uatum est, ut versus duas primas syllabas breues, se-
 quentes

quentes autem habeat longas, sic & pes Ionicus
 minor compositus videtur. Digestum autem ex
 duobus trimetris coniunctis vno Tetrametro ei
 subiecto, sic,

Miserarum est neque amori dare ludum,
 Neque dulci mala vino lauere, aut ex-
 animari metuentes patruæ verbera linguæ.
 Hoc quoq; metro Horatius semel usus reperitur.
 LIB. IIII. Ode VII. talis est,

Diffugere niues redeunt iam gramina campis.
 Hæc Ode scripta est ad δικαλιαν, & est primum epos
 Heroum hexametrum, secundum autem epodos
 penthemimeris, id est hemistichiū pentametri, ita,
 Arboribusque comæ.

Sed ut huic prolotione par sit, sumēda eius pētame-
 tri parserit, qui duos primos pedes dactylos habe-
 bit. Aliud in quarto lib. nouū metrū non inuenies.
 LIB. V. qui epodon inscribitur, Ode prima est,

Ibis Libyrnis inter alta nauium. Secunda,
 Beatus ille qui procul negotijs. Tertia,
 Parentis olim si quis impia manu.
 & quæ sequuntur vsque in decimam. His Iambicis
 trimetris acatalectis usus est, in lib. epodon, ut di-
 ximus, decies. Respondet adæque Iambico Di-
 metro Acatalecto, id est, quatuor pedibus eius-
 dem metri. Primo sic,

Amice propugnacula. Secundo,
 Ut prisca gens mortalium. Tertio,
 Senile guttur fregerit.
 Similes Archilochijs illis,

πατὲρ λυκάμβα πῶς πεφρασμένον γέτος

τόδ' ἐστὶ σὰς περὶ φρένας.

In eodem, ode xi.

Pecti nihil me sicut antea iuuat,

Scribere versiculos amore percussum graui.

Scripta ad dicoliam, in qua primus versus erit simplex iambicus trimeter, sequens compositus. Nam prælata, amore percussum graui, quo metro semel vsus est. In eodem, ode xii.

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris.

Munera quid mihi quidve tabellas.

Hæc metra similia sunt illis quæ in primo carminum inuenimus, ita,

Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenen,
Dehinc,

Aut Epheson, bimarive Corinthi.

Vbi tetrametrum epicum heroico subnectitur. Item

Te maris & terræ numeroque carentis arenæ,
Heroico epodus huius,

Mensorem cohibent Archita.

Nam tetrametri epici, qui & Archilochij ab inuentore nuncupantur, adiectis duobus in fine pedibus erunt hexametri, sic,

Munera quid mihi quidve tabellas perfida mit-
In eodem, ode xii. (tes.

Horrida tempestas cœlum contraxit & imbres,

Niuesq; deducunt Iouē, nunc mare nunc siluæ.

Horum metrorum primum Heroicum est simplex, sequens compositum ex dimetro iambico acatalecto, & penthemimeri epico, quod superiori epodo contrarium est, ita,

Scribere versiculos amore percussum graui.

Quem consequenti ratione præposterum quàm superior habetur, induxit, sic,

Niuesq; deducunt Iouē, nunc mare nunc siluæ.

Etenim veritus ne subiecti epodi prius comma ex Heroico subsistens, eundem enuntiationis sonum redderet, iambicum dimetrum anteposuit, quo variata modulatione gratior redderetur. Nam & in trimetro superiore, ne sui generis versum subiungeret, heroico comma præmisit, ita,

Scribere versiculos.

In eodem, ode xvi.

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas:

Suis & ipsa Roma viribus ruit.

Prior Heroicus, sequens trimeter iambicus acatalectus est, qua copulatione inter se metrorum Horatius semel vsus reperitur. Item dimetrum epodum Heroico versui subijcit, sic,

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis

Obluionem sensibus. Similiter,

Nox erat & cœlo fulgebat luna sereno

Inter minora sidera.

Quo exemplo bis, nec amplius, in epodo libro poëta vsus est. In vltima ode, quæ est,

Iam iam efficaci do manus scientiæ,

Trimetris omnibus sine epodo vsus est. Et hactenus epodi. Si qua vero sunt alia de quibus non diximus, ex his, sicut supra memorauimus, nascuntur, aut detractis aut adiectis cuilibet metro syllabis, neque vllus fere poëtarum est qui vel lyrica

vel fabularum choros scripserit, qui non sibi ali-
quod proprium genus ob commendationem ac
memoriam sui nominis finxerit. A smate eo quo
scribitur carmen seculare, cuius initium,

Phœbe, silvarumque potens Diana,

Lucidum cœli decus, o colendi

Semper & culti, date quæ precamur

Tempore sacro.

Hendecasyllabum est Saphicum, tribus continuis
versibus, epodo quarto epico dimoero, de quibus
in secunda Ode libri primi carminum, cuius initiū,
Iam satis terris niuis atque diræ, satis dictum est.

DE NUMERO HORATIA- norum versuum.

OMnia autem apud Horatium tam carminum
quàm ἐπωδαῖν metra, erunt vnde viginti numero,
sic, Asclepiadea spondeo, vt, Mecœ, duobus Cho-
riambis, nas atavis, edite regibus. Saphica hen-
decasyllaba, epitrito secundo, iam satis ter, chori-
ambo, ris niuis at, bachio, quæ diræ. Dimetra e-
pica acatalecta, dactylus, terruit, spondeus, urbem.
Glyconia quæ & Anacreontia, spondeus, Sic te,
choriambus, diua potens, pyrrhichius, Cypri.
Ἐκκαίδεκασύλλαβα Saphica, quæ quidam antispastica
dixerunt, spondeus, Tu ne, choriambi, quæ fieris,
scire nefas, quem mihi quem, pyrrhichius, tibi.
Epica περιτροσσύλλαβα, dactyli, Soluitur, acrisi, spō-
deus, ems gra, dactylus, ta vice, trochæi, veris &
Fauoni. Trimetra Iambica catalectica, Trahuntq;
ficcas

ficcas machinæ carinas. Pherecratia, spondeus,
Grato, choriambus, Pyrra sub antro. Epicum he-
xametrum, quod Heroum,

Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenam.

Epicum tetrametrum acatalectum Heroici,

Aut Ephesum bimariseve Corinthi.

Iambicum dimetrum catalecticum, choriambus,
Lydia dic, & bacchius, per omnes. Choriambi-

cum tetrametrum catalecticum, epitritus 11. Hoc
deos ve, choriambi, re Sybarin cur properes, ba-

chius, amando. Alcaicum Hendecasyllabum,
iambi, Vides vt al, cum syllaba, ta, & duo dactyli,

stet niue candidum. Dimetrum Iambicum hy-
percatalectum, spondeus siluæ, iambus labo, spon-

deus rantes, iambus geluq;. Trimetrum epicum
Hypercatalectum, duo dactyli, flumina constite,

& duo trochæi, rint acuto. Trochaicum dime-
trum catalecticum, trochæi, Non ebur neque au-

reum. Iambicum trimetrum Catalecticum,

Mea renidet in domo lacunar.

Trimetrum iambicum acatalectum,

Ibis Lyburnis inter alta nauium.

Dimetrum Iambicum acatalectum,

Amice propugnacula.
Compositum ex penthemimere elegiaco, & dime-
tro Iambico catalecto, duo dactyli cum syllaba.

Scribere versiculos. duo iambi, tertius spon-
deus, quartus iambus, amore percussum graui.
Compositum ex dimetro iambico & penthemi-
mere elegiaco, duo iambi, niuesque de, spondeus,

ducunt, Iambus Iouem, dactylus nunc mare nunc siluæ. Metra apud Horatium semel dicta, Choriambus, Lydia dic, Bacchius, per omnes, Hoc deos ve, epitritus secundus.

Soluitur acris hyems grata vice veris & Fauoni.
Non ebur neque aureum,
Mea renidet in domo lacunar.

Scribere versiculos amore percussum graui.

Niuesq; deducunt Iouē, nunc mare nunc siluæ. Et super his hæctenus. Nunc vero si non omnia, quæcunque apud Græcos possunt inueniri, hoc commentario comprehenderim (sunt enim apud Lyricos & Tragicos & Comicos poëtas innumera- biles metrorum species) illud tamen non arro- ganter ausim dicere, id nos his voluminibus qua- tuor consecutos, vt si nouum atque incognitum auribus metrum commentum se quispiam duxe- rit, inficias ire non possit, ad hæc velut omnium generum semina quæ inuestigata à nobis, & huic commentario tradita reperiuntur, necessario re- ferri, ab iisdemque, vt ita dixerim, fontibus pro- culdubio deriuari, præterea vtcunque sub incerta atque ambigua specie astu proferuntur, protinus intelligamus qua metrorum origine procreata, vel qua sint ratione studiosa composita, quo simul & ea quæ fallunt inconnexa inter se metra, magi- stra lectionis instructione noscamus, & ipsi ex nobis noua, instigante gloria, comminisci ac pro- ferre possimus.

FINIS.



SERVI HONORATI,
GRAMMATICI,
DE PEDIBVS VERSVVM
ET ACCENTIBVS,
LIBELLVS.

PEs dictus est, quo quasi metrorū gressus incedat. Aliter dictus est pes, quod hoc quasi pedali regula ad versum vtimur mensurandum. Metimur enim versum Heroicum, & dicimus sex pedum esse. Metimur Saphicum, & dicimus quinque pedum esse, & cæteros.

Igitur necesse est, pedem vnumquemque in se ha- bere certum cum temporibus numerum syllaba- rum, vt est spondeus: habet enim duas syllabas & tempora quatuor. Item dactylus tres syllabas ha- bet, & tempora quatuor. Item & proceleusmaticus quatuor syllabas, & quatuor tempora, & cæteri qui cum his subscripti sunt.

Scire etiam debemus, quod vnicuique pedi acci- dit Arsis & Thesis, hoc est eleuatio & positio, sed

Q

arsis in prima parte, thesis autem in secunda ponenda est. Numerus etiam syllabarum, & tempus, vt supra dictum est. Resolutio, vt si pro spondeo proceleusmaticus ponatur, vt est apud Vergilium, Genua labant: soluuntur enim duæ longæ in quatuor breues, quæ spondeum solis facere solent temporibus. Figura etiam accidit pedi, vt si velimus spondeum figurare his notis - - & Pyrrhichium his notis 00, sicut etiam apud Græcos sunt. Metrum quod ex spondeo Spondaicum, ex trochæo Trochaicum, ex iambo Iambicum nuncupatur.

Pedes dissyllabi hi sunt,

Pyrrhichius	πυρρίχι	0 0
Spondeus	σπονδαί	- -
Iambus	ιαμβός	0 -
Trochæus	τροχαι	- 0

Trisyllabi sunt,

Tribrachus	τρίβραχος	0 0 0
Molossus	μολοσσός	- - -
Anapæstus	ἀνάπαις	0 0 -
Dactylus	δάκτυλος	- 0 0
Amphibrachus	ἀμφίβραχος	0 - 0
Amphimacrus	ἀμφίμακρος	- 0 -
Bachus	βακχί	0 - -
Antibachus	ἀντιβακχί	- - 0

Duplices autem hi sunt,

Proceleusmaticus	προκελευσματικός	0 0 0 0
Dispondeus	δισπονδαί	- - - -
Diiambus	δίαμβός	0 - 0 -
Ditrochæus	διτροχαι	- 0 - 0

Anti-

Antispæstus	ἀντίπαις	0 - - 0
Choriambus	χοριαμβός	- 0 0 -
Ionicus minor	ιονικός ἀπὸ ἐλάσσονος	0 0 - -
Ionicus maior	ιονικός ἀπὸ μείζονος	- - 0 0
Pæon primus	παιών. α.	- 0 0 0
Pæon secundus	παιών. β.	0 - 0 0
Pæon tertius	παιών. γ.	0 0 - 0
Pæon quartus	παιών. δ.	0 0 0 -
Epitritus primus	ἐπίτριτος. α.	0 - - -
Epitritus secundus	ἐπίτριτος. β.	- 0 - -
Epitritus tertius	ἐπίτριτος. γ.	- - 0 -
Epitritus quartus	ἐπίτριτος. δ.	- - - 0

Ex quibus alij pedes vel syzygiæ iudicantur. Syzygia autem est, ex varijs pedibus velut in vnum pedem collecta conclusio: nam inuenta est propter hæc verba, quæ nec dissyllabarum, nec trisyllabarum, nec quadrisyllabarum esse potuerunt, vtputa si dicamus ædificium, ædificatio, orationibus, ratiocinationibus. Hæc quia sunt integra posita, nulli conueniunt pedi, quia excedunt quatuor numerum syllabarum. Syzygiæ vocantur, quod diuisæ diuidentis arbitrio pedibus signentur: vt si velimus diuidere hoc nomen in duos dactylos, ædifi - 0 0 catio - 0 0, & cætera huiusmodi. Verum si nouem syllabarum nomen incurrit, ita diuidimus, ratioci 0 0 - 0 nationi - 0 - 0 bus, in pæonem tertium, & in ditrochæum, & semipedem. Aut ita, ratiocinationibus in anapæstum, 0 0 -, & in amphibrachum, 0 - 0, & in dactylum, - 0 0. & alia huiusmodi.

Q 2

Pedes dissyllabi secum iuncti hos ex se duplices se-
decim creant, tali schemate.

Omnes pedes tres diuisionum tenent formas, sed
has quæ ad grammaticos pertinent: Nam amphi-
brachus, qui excipitur à Donato, habet diuisionem
quæ dicitur tripla epitriti, qui ex eodem excipiun-
tur habent diuisionem quæ epitrita dicitur.

Ergo his quinque pedibus exceptis, sciendum est
quod in reliquis pedibus istæ sunt diuisiones tres,
quarum prima æqua, secunda dupla, tertia sescu-
pla. Et est æqua diuisio in his pedibus, qui soluti
tot tempora habent in arsi, quot & thesi, vt est
dactylus. Dupla est, quoties altera pars alteram
partem duplo vincit, vt in his pedibus est trochæo
& iambo: nam prima syllaba duo tempora habet,
sequens vnum, vel contra. Sescupla est, quotiens
altera pars alteram partem de medietate dupli vin-
cit, quæ iccirco dicta est sescupla, quia plus ab æ-
qua significet, minus à dupla: aliud enim cum duo
sint contrà vnum: plus enim laborat illa pars quæ
vnum habet contrà duo: aliud enim est cum tria
veniunt contrà duo.

Scire etiam debemus, quod æquam diuisionem
possumus vocare dactylicam, duplam iambicam,
sescuplam pæonicam.

Inueniuntur in vnoquoque metro pedes ignobi-
les, qui nothi vocantur: iccirco, quod velut appo-
siti dignitatem metri degenerent, vt est in versu
Heroico, trochæus, anapæstus, proceleusmaticus.
Nam legitimi hi sunt in Heroico metro
spon-

spondeus, & dactylus, qui tamen & ipse non fuit
ante legitimus, sed factus est ex solutione spondei
secundæ syllabæ.

Pedes simplices ideo dicti sunt, quod non sunt ex
aliis pedibus compositi, sed natura vsque ad ternas
syllabas tendunt: si autem vsq; ad quatuor duxeri-
mus, iam non sunt simplices, sed ex dissyllabis facti
sunt duplices: qui duplices non amplius quàm nu-
mero senarum syllabarum esse monstrantur: Et
reuera siquidem constet simplices pedes vsque ad
ternas syllabas posse conscendere, qui vtiq; gemi-
nati iure duplices vsque ad sex syllabas mittunt.

DE ACCENTIBVS.

TEnores, siue accentus dicti sunt, quod natu-
ralem vniuscuiusque sermonis inuicem nostræ
elevationis tenorem seruant. Dictus autem accen-
tus, quasi adcantus iuxta Græci nominis interpre-
tationem, quod *προσῳδία* dicitur, Latine adcantus.
Sunt omnes accentus latini octo: Acutus qui ita
fit': Grauis ita': Circumflexus ^: Factus scilicet
de vtroque. Longus ita - : Breuis ita o : Hyphen
ita U: Diastole, Apostrophos ita'.

Verum hoc interest inter Diastolen & Apostro-
phum, quod Apostrophos ad caput litteræ poni-
tur, Diastole vero ad imam partem litteræ. Hoc
ideo diximus, ne cui notarum harum similitudo
aliquid erroris afferat.

His ita se habentibus, sciendum est quod acutus,
& grauis, & circumflexus, soli sunt, qui vt superius

diximus, naturalem vniuscuiusque sermonis invicem nostræ elevationis seruant tenorem, nam ipsi Arsin Thesinque moderantur. Quanquam sciendum est, quod in vsu non est hodierno grauis accentus.

Verum lex accentuum ita est, quod syllabæ in quibus isti poni debent, à fine numerantur: Nam si syllabarum quantarumuis sermo sit, circumflexus non tenebit nisi penultimum locum.

Acutus accentus in Latinis non tenebit, nisi penultimum locum & antepenultimum.

Penultimum tunc in dissyllabis, cum prior fuerit vel correpta, vel positione longa: vel cum ambæ naturaliter longæ fuerint, vel cum ambæ breues: Ita fit vt in dissyllabis cum acuto accentu in pedes coniuncti sunt, Trochæus positione factus, Iambus, Pyrrhichius, Spondeus.

In trisyllabis vero, vel in quantovis numero syllabarum, tunc est acutus accentus, cum tres ipsæ syllabæ à fine breues naturaliter: vt, anima, macula, vel quicquid horum inuentum fuerit, quæ in dissyllabis ante docuimus: ita fit in trisyllabis, hunc eundem accentum cognoscimus in tribracho, molosso: cuius syllabæ ambæ à fine, aut naturaliter longæ fuerint, aut positione longæ, Dactylo, Anapæsto, Amphimacro, Amphibracho: cuius tamen media positione, fit Bachio naturali, & Antibachio, cuius item media positione longa.

Hucusque dictum est in dissyllabis eiusdem modi qui esse possunt accentus, nunc dicendum est, in qua

qua parte in trisyllabis acutus sit ponendus.

In trisyllabis antepenultima accipit accentum, etiam si penultima sit longa positione exmuta & liquida: vt, lã: ebræ cõlubri: In tribus sic penultima acuetur: vt, Mecœnas. Vbi antepenultima fuerit breuis, penultima vero sit longa, in penultima ponendus est, vt amicus.

Sane sciendum est, quod monosyllaba pars orationis, quæ vel naturaliter breuis est vt, &, que: vel positione fit longa, accentum habebit acutum: vt, pax, dux, nux, crux, fax.

Circumflexus autem accentus in trisyllabis, vel in quantovis numero syllabarum, penultimum sibi vendicat locum, & hac lege, vt, vbi fuerit hic accentus, penultima sit naturaliter longa, ita fit vt huic accentui trochæus naturaliter longus conuenire videatur.

Item monosyllaba pars orationis tunc istum habebit accentum, cum natura longa fuerit tantum, vt, sol, dos: Grauis vero accentus cum acuto & circumflexo accentu poni poterit: possumus enim in eo quod est Cætullus grauem ponere in antepenultima: item cum circumflexo ita ponitur, vt Cethêgus, verum quia necesse non est, vt cum reliquis accentibus ponatur, fit scriptoris arbitrio.

Sed hic grauis accentus non habet eandem communionem cum cæteris accentibus, quàm cum circumflexo & acuto, quia si cum cæteris haberit, non habet tamen nisi per istos, vt malesanus, interea loci. Sed nequis & in huiusmodi dictionibus

* quatuor esse accentus: Hyphen, aut acutum, aut circumflexum, aut grauem, siquidem dicit in compositis dictionibus vnum accentum esse debere, non minus quàm vna parte orationis. Sciendū est, quod modo Hyphen pro distinctione ponatur, grauis autem superfluo scriptoris arbitrio, vt supra dictū est. Restat igitur vt ex illis legitimis duobus in dictione positus iure dicatur accentus. Sciendū autem quod nullum barbarum nomen, vel verbum aliquod peregrinum, neq; interiectio certum poterit accentum tenere. Nam in barbaricis nominibus nulla sunt sui ratione, sed quali volumus sane non aspero proferamus accentu: Græca autem suis accentibus pronuntianda esse cognoscimus.

Sæpe accentum dissipat legendo, vel distinctio, velut cum debet dici, sub Hyphen male sanus, male, quis distinguendo dicat separans male, sanus, vel pronuntiando, vt cum dicere debeamus latebras, legendo versus quis dicat:

Impulerat ferro argolicas foedare latebras,
acute producens: Vel necessitas separandi verba similia, vt cum dicere debeamus, pone, vt penultima syllaba habeat accentum, quia nullum latinum verbum est, in quo vltima syllaba habeat accentum necessitate ducti, ne putaretur modus imperatiuus, ab eo quod est pono, dicamus pone, vt aduerbium significet loci, vel similiter ergo, vt intelligatur, pro eo quod est causa, vt in Vergil. illius ergo, Venimus, id est, illius causa venimus.

Hyphen, est nota quæ duo verba subiungit, ac ne-

ctit

ctit subposita, quæ ducitur à præcedentis fine verbi vsque ad initium consequentis, vt interea loci, cum tamen vsus exgerit. Diaftole est nota contraria Hyphen, hac enim nota vitiose iuncta separamus, & ponitur ad imam partem litteræ, quali retinens, vt,

Ereptæ virginis, ira. Et.

Viridiq; in littore conspicitur, sus.

Apostrophus, est nota similiter facta vt Diaftole, sed ad summam partem posita est, scilicet consonantis, quæ quali sub vocali motu velata suspenditur. Scire autem debemus Græcorum Dasian & Psilen, H, notam aspirationis modo positâ, modo sublatam simulare.

Dicta distinctio est vel positura, quod positum punctum distinguit nostram orationem, & cum distinctio species sit posituræ, tamen abusiue pro ipsa positura, hoc est, pro ipso genere distinctione habemus: Nam cum sit codex emendatus distinctio, media distinctio, & subdistinctio dicitur tamen codex esse distinctus: Igitur distinctio est, punctum appositum ad caput littere plenæ sententiæ. Subdistinctio, punctum appositum ad imam partem semiplenæ orationis. Media distinctio, punctum appositum mediæ sententiæ suspensæ propter respirationem. Sciendū est autē, quod in lectione textus vnius sensus periodos nominatur, vt est: Nihil ne te nocturnum præsidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus omnium bonorum? &c.

Q 5

Cola autem & commata eiusdem orationis singulæ partes esse noscuntur. verum meminimus in prosa oratione cola & commata idem esse, & vnum significare: in versu vero aliud & diuersum, nam vbi duo liberi sunt pedes, colon dicitur, vt apud Horatium,

Terruit urbem.

Comma vero, quando post duos pedes, vel post tres pedes sequitur syllaba quæ partem terminat orationis. vt in primo versu Aeneidos,

Arma virumque cano. Item,

Arma virumque cano Troiæ.

SERVII MARI HONORATI GRAMMATICI

de quantitate syllabarum

Libellus.



SERVIVS MARIVS HONO-
RATVS AQVILINO S.



ULTIMARVM syllabarum naturas, sicut proposueras, breuiter lucideq; digessi, in qua re mea audacia tuo defenditur imperio. Namque hoc opus arduum, dum veluti facile ac per se patens multi reliquerunt, difficilius reddiderunt, quanquam

rationem

rationem litteræ & syllabæ Donati artibus habeamus, tamen breuiandi causa, aliqua ex his descriptimus, quæ ad sciētiam metrorum proficere credidimus. Igitur primas syllabas omnium partium orationis duobus modis considerabimus, natura & positione. Natura tripartita est, nam aut diphthongis syllaba longa esse cognoscitur, vt, æ, œ, au, eu, ei, aut exemplo. Quæritur enim vtrum syllaba longa sit an breuis, vt,

Musa mihi causas memora quo numine læso.

Aut ex compositione, vt si nescias qualis sit pius, ex compositione, quod est impius, qualis sit pi cognoscitur, licet in aliquantis hoc fallat. Nam cū dicimus nubere, nu, longa est. Item cum dicimus innuba aut pronuba breuis est nu, in compositione: sed hoc inueniri raro contingit. Positio est, cum correptam vocalem duæ consonantes sequuntur, vt arma, aut vna quæuis duplex, vt axis, vt Mezentius vel maior, aut altera consonans & altera vocalis loco consonantis posita, vt, at vino, &, at venus. Verum si quælibet pars orationis, cū præpositionibus componatur, ex his primas syllabas cognoscimus. Nam talis manebit fere omnis composita syllaba, qualis & ipsa præpositio fuerit, vt ineptus: ex his præpositionibus, ad, & ob, & in, sub, diuerse in verbis ponuntur, nam corripuntur cum crescendo dissyllabum reddunt, vt, adit, obit, in it, subit. Indifferentes enim sunt, cum trissyllabū faciunt vt adicit, inicit, obicit, subicit: producuntur tantummodo cum tetrasyllabum ex se red-

dant, vt adijcio, inijcio, obijcio, subijcio. Item quæ per que & per pre in primis syllabis scribuntur, plerunque producantur, excepto precium, premo, preces, prehendo, & queror hoc est querelam depromo, & quæ ex his per deriuationem aut declinationem fieri possunt, & que, coniunctio. Item econtra breuiantur, ex eisdem præpositionibus, in compositionibus, de, & pro, vt dehinc, deinde, profectus, professus, profanus, profatus, proauus, pronepos, &c. Item sunt aliquanta verba quæ primas syllabas temporum ratione producant quæ subter collecta. In omni enim præterito perfecto, & omni præterito plusquam perfecto, & omni futuro modi tantum coniunctiuui, producantur, in cæteris autem modis & temporibus breuiantur, vt sunt hæc, lego, legi; legeram, legero. Fauco, faui, faueram, fauero. Venio, veni, veneram, venero. Fugio, fugi, fugeram, fugero. Facio, feci; feceram, fecero. Sedeo, sedi, sederam, sedero. Fodio, fodi, foderam, fodero. Video, vidi, videram, videro. Voueo, voui, voueram, vouero. Foueo, foui, foueram, fouero. Iuuo ui, iuueram, ro, ago, egi, ram, ro. emo, mi, ram, ro. lauo, vi, ram, ro. odio, di, ram, ro. eo, iui, iueram, iuero. queo, quiui, quiueram, quiuero. Sino, vi, ram, ro. Sero, seui, ueram, uero. Caueo, caui, caueram, ero. Item econtra inueniuntur quæ in præsentis tempore producta sunt, & in præterito breuiantur, vt sunt hæc, pono posui, cogo coegi, do dedi, sto steti. Item omnia verba quæ in præterito antecrescunt, in primis syllabis breui-

antur

antur, vt pendeo pependi, tondeo totondi, tendo tetendi, posco poposci, curro cucurri.

Medias syllabas tribus modis cognoscimus, Positione, Diphthōgis & Accentu. Sed de positione & diphthongis supra tractauimus, accentus autem est quasi adcantus dictus, quod ad cantilenam vocis nos facit agnoscere syllabas. Qui vocis accentus duo, ad ea quæ tractamus, necessarij, correptus & productus. Correptus est, quotiens sine vlla mora vocis medias syllabas enuntiamus, vt macula tabula, productus est quotiēs medias syllabas cum aliqua mora vocis exprimimus, vt fortuna natura. Sciendum est tamen, quod illa, quæ in verbis, i, correpta proferuntur, cum in medium venerint & ipsam, i, in, e, mutauerint, vt legis lege legere, vbique breuiantur, excepto cum à tribus excipiuntur consonantibus, b, & m, & t, vt legebam, legemus, legetur. Cætera melius accentibus colliguntur, quia accentus in trisyllabis & tetrasyllabis, & deinceps ita considerandus est, vt si queratur, amicissimorū, quibus syllabis constet, dicimus primam breuem exemplo, vt, Nimum dilexit amicum. secundam cum longo accentu inuenimus, tertiam positione longam, quartam breuem accentu, quia cum dicimus amicissimus penultimam cum breui accentu dicimus, vltima vero qualis sit per singulas partes orationis, demonstrabunt rationes subiectæ.

Nominatiuus singularis has habet breues, a, vt musa, e, vt sedile, o, vt virgo, v, vt cornu, el, vt mel, il, vt

vigil, vl, vt consul, m, vt tectum, en, vt carmen, ir, vt vir, or, vt doctor, t, vt caput: ex his autem producuntur in Græcis, e, vt Euterpe, o, vt Dido, en, vt lien, firen, il, in vno hetrusco, vt tanaquil. Hæc sunt item quæ producuntur, i, vt frugi, ol, vt sol, an, vt titan, on, vt memnon, in, vt delphin, as, vt facultas, c, vt allec. Sed as finitus nominatiuus in Græcis, tunc breuiatur cū genitiuus, dos, habuerit, vt Arcas arcados, Pallas pallados: er autem in Græcis producitur, vt æther, aër. Itē hæc sunt quæ in monosyllabis producuntur, in dissyllabis autē & trisyllabis & tetrasyllabis & in cæteris polysyllabis corripuntur, ar, monosyllabū, vt far, dissyllabū vt Cæsar, er, monosyllabum vt ver, dissyllabū pater, ur monosyllabum vt fur, dissyllabum vt murmur, is monosyllabum, vt glis, dissyllabum vt fortis, al monosyllabum vt sal, trisyllabum vt Hannibal.

Item hæc sunt quæ varietatem nominatiui faciūt, & quæ sibi à genitiuo suo regulam sumunt, es, os, us. Nam es syllaba nominatiuus quando finitur, modis quinque producitur, duobus autē corripitur: tunc ergo producitur cū nomen quintæ fuerit declinationis, vt dies diei. Item producitur cum totidem syllabas genitiuus habuerit, quot & nominatiuus, vt proles prolis. Tertio modo producitur, cum genitiuus syllaba crescens, e, productam in medio habuerit, vt merces mercedis. Quarto modo producitur cum à monosyllabis ducta fuerit, vt pes, bipes, sonipes, semipes.

Quinto modo producitur cum, i, ante es in fine habuerit,

habuerit, vt abies, aries, paries, quies. Duobus autem modis corripitur, cum ante mediam breuiem in genitiuo habuerit, vt seges segetis: aut cum, e, mutauerit, vt miles militis. Os igitur monosyllabum si ora significet, producitur, vt os oris, si ossa significet, breuiatur, vt ossis. Quæ tamen, os, syllaba, cum in dissyllabis vel in trisyllabis venerit & media syllaba genitiui natura producta permanferit, tum longa erit, vt nepos nepotis, si vero correpta fuerit, aut diphthongon in genitiuo Græco habuerit, breuiatur, vt compos compositis, *διῆλον* διλον. Vs vero cum in genitiuo crescente, u longa permanferit producitur, vt virtus virtutis, tellus telluris, excepto vno palus, quod in genitiuo, dis, terminatur, vt palus, paludis, inde est

Sterilisq; diu palus aptaque remis. Si vero in genitiuo crescente, correpta aut mutata permanferit aut non creuerit, breuiatur, vt pectus pectoris, vulgus vulgi. Genitiuus, datiuus & ablatiuus singularis producuntur, sed genitiuus, cum aut os in fine secundum Græcos habuerit, aut tertiæ fuerit declinationis, cum ablatiuo suo, e, tantum littera terminato breuiatur, excepto vno quod producitur, vt ab hac fame, quia veteres huius famei, non huius famis declinabāt: sed & datiuus in Græcis, i, terminatus breuiatur, vt Palladi. Accusatiuus in Latinis brevis est semper. In Græcis tunc tantū brevis est, cum, a, vel on, terminatur, vt Thesea, Delon, alias longus. Vocatiuus quoq; in Latinis brevis est, excepto cum, i, terminatur, vt, Mercuri.

In Græcis corripitur, vt Alexi, qui etiam dum similis fuerit nominatiuo, nominatiui sequitur regulam, vt hæc paupertas: in masculinis tamē Græcis & barbaris, a, terminatis producit, vt ænea: sed etiam, e, finitus in Græcis tantum breuiatur, cum eius nominatiuus, os, fuerit terminatus, vt Phœbos Phœbe. Nominatiuus & accusatiuus & vocatiuus plurales per quinque declinationes in masculino & fœminino genere producuntur, in neutro corripuntur. Contra hæc sunt Græca nomina quæ dum ante, s, vltimam, a, aut, e, habuerint, & à genitiuo singulari dos, terminato venerint, tunc tantū in masculino & fœminino breuiantur, vt huius arcados, hi arcades, hos arcadas, alias lōgi sunt. Genitiuus pluralis semper breuis est in Latinis, in Græcis vero producuntur, vt Philemon. Datiuus & ablatiuis plurales si, is, terminantur longi sunt, vt doctis: si, bus, breues sunt, vt agilibus, aut si Græca sit declinatio, *iv*, terminatus corripitur, vt *ἀρετῶν*. In hac regula nomina, pronomina, participia continentur, sed pronominis declinatio in eo tantum differt, quod monosyllaba quæ vocalibus terminantur, producuntur, quæ sunt, me, te, se, mi, tu, qui, quæ, quo, qua, sed genitiuus cum in us, terminatur, breuiatur vt illius: datiuus vero in, i, sicut in nomine semper longus est, excepto mihi, tibi, sibi, quæ indifferenter poni possunt: sic reliqui quoq; casus regulam sumunt ex nomine. In omnibus verbi temporibus, modis, numeris, personis, coniugationibus breuiantur, m, vt docebam, r, vt lege-

bar,

bar, t, vt faceret, us, vt nutreemus, e, vero littera, verba terminata breuiantur, vt lege. Sic imperatiui modi secunda tantum persona, secunda quoque coniugatione, producitur, vt doce. Es autem breuiatur, vt sum es, & cætera quæ ex his componi possunt, vt assum ades, possum potes, in alijs producitur, vt doces. Is autem in secunda persona indicatiui modi tunc tantū producitur cum à tertia coniugatione producta venerit, vt nutrio nutris, & volo vis: alias breuiatur. Producuntur autem, a, vt ama, i, vt nutri, u, vt lectu, as, vt vocas, es, vt leges, c, vt fac, & cætera omnia huiusmodi. O, produci potest & corripi. In omnibus aduerbijs breuiantur, el, vt semel, er, vt pariter, m, vt tam, n vero, excepto non, & en, vbique breuiantur, vt forsitan: e, vero dum finiuntur aduerbia, illa producuntur quæ ex nominibus veniunt & comparationis gradus recipiunt, vt docte doctius doctissime: quæ autem à se nascuntur, vt sæpe, aut non comparantur, vt rite, aut in comparatione deficient, vt bene, male, breuiantur. I, finita, præter, quasi, ibi & vbi, producuntur, vt heri. O, sicut in omnibus partibus orationis indifferenter ponitur, vt falso. S, dum ante eam, a, habuerit, producitur, vt alias: aliter breuiatur, vt magis. Producuntur autem, a, vt vna: u, vt noctu: c, vt illuc: aduerbia autem monosyllaba producenda sunt, vt huc, hic, vel quæ ex his fiunt, vt illuc, illic, istic, exceptis bis & ter, & his similia. Omnes fere cōiunctiones corripuntur, sed quæ, a, vel, i, terminantur, producun-

R

tur, excepto, ita, quia, & nisi. Item quæ in, n, definiunt, si ante eam, i, habuerint, producuntur, vt sin. Accusatiuæ præpositiones absque his, quæ in, a, exeunt, & vno monosyllabo cis, breuiantur: ablatiuæ vero illæ monosyllabæ longæ sunt, quæ aut vocalibus constant, vt, a, aut vocalibus terminantur, vt de: sed vtriusque casus præpositiones omnes breues esse non dubium est. Re autem vbique breuiatur, vt remitto, excepto cum refert, distat, significat, vt est illud,

iam nec mutari pabula refert,

Et vno verbo reicio, vt,

Reice ne maculis infuscet vellera pullis,

Nascentum.

Omnes interiectiones si monosyllabæ fuerint, producuntur, vt heu: cæteræ vero exemplo similibus partium orationis existimandæ sunt, vt papæ. Hæc in omnibus partibus obseruanda sunt, exceptis quæ aut diphthongo aut positione longæ sunt.



E X

AELIO FESTO APHTHONIO

de carminis appellationibus.

Ω Δ Η est dulcedine soni, verbum lexisve pronuntiata. Nam si sine verbo sonus pronuncietur, *κρῆσμα* dicitur. Vnde etiam in tropicis artis musicæ litteras seu signa quædam tonos proprios exprimentia

mentia interueniente linea ita enuntiant, τὸ μὲν ἄνω τῆς λέξεως, τὸ δὲ κάτω, τῆς κρῆσεως. Quod *κρῆσμα* variatur ex rythmo, dum augetur aut minuitur, & ad sonum dirigitur, vel pedis ἑμετρῆς verbum enūciatur, infinita enim res est rythmos, cum vsque quo volles, vocis sono ducatur, ibique cogas quiescere vbi pedem finiturus es. Μέλῳ autem quod ex his nascitur, dictum putant à Meline Oceani filia, quam primam quattuor chordis vsam affirmat Lyfanius: siue, vt Licymnius, ἀπὸ τῆς μελιᾶζεν τετίσιθ θρηῆν. Quibusdam placet ab apibus quæ græce μέλισσαι dicuntur: nam sicut illæ omni cura flores legunt vt mella conficiant, καὶ ὅτι μέλι αὐταῖς hoc studiū, μέλισσαι dictæ: in scriptura quoque quicquid floris est in sono vocis & rythmis ad componenda μέλη, colligimus vt auribus tradamus, vnde & Homerus, τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτῳ γλυκίων ῥέει αὐδῆ. Nam veluti gustu vocis aures pabulantur. Vel ideo melos, quia pars est ᾠδῆς καὶ λέξεως. Sicut & corporis nostri partes græce μέλη appellamus. Constat autem melos & colo & commate. Colon est quædam pars orationis integra pedū compositione coniuncta, cuius pars comma dicitur. Erunt itaque cola particule solutorum metrorum dumtaxat, cum integræ fuerint syzygiæ, comma vero cum imperfecta est. Omnis autem versus, κατὰ τὸ πλεῖστον, in duo cola diuiditur, abusive autem & iam comma dicitur colon.

R 2

AE L I O D O N A T O,
D E T O N I S.

Tonos alij accentus, alij tenores nominant. Toni igitur tres sunt: acutus, grauis, circumflexus. Acutus cum in Græcis dictionibus tria loca teneat, vltimum, penultimum, & antepenultimum, tenet apud Latinos penultimum & antepenultimum, vltimum nunquam. Circumflexus autem quotlibet syllabarum sit dictio, non tenebit nisi penultimum locum. Grauis poni in eadem dictione vel cum acuto vel cum circumflexo potest: & hoc illi non est commune cum cæteris. Ergo monosyllabas, quæ correptam vocalem habebunt, acuto accentu pronuntiabimus, vt páx, píx, núx: Quæ productam vocalem habebunt, circumflexo accentu pronuntiabimus, vt rós, dós, spés. In dissyllabis, quæ priorem productam habuerint, & posteriorem correptam, priorem syllabam circumflectimus, vt meta, creta. Vbi vel ambæ productæ, vel posterior syllaba producta fuerit, vel ambæ correptæ, acuemus priorem syllabam, siue correpta fuerit, siue producta, vt léges, réges, népos, hónos. In trissyllabis & tetrasyllabis, & deinceps, si penultima correpta fuerit, acuemus antepenultimam, vt Túllius, Hostílius. Si penultima positione longa fuerit, ipsa acuetur, & antepenultima graui accentu pronuntiabitur, vt Catúllus, Metéllus: Ita tamen, si positione longa, non ex muta & li-

quida

quida fuerit: nam mutabit accentum, vt látebræ, ténebræ. Si vltima breuis fuerit, penultima vero natura longa, penultima circumflectitur, vt Cethégus, Berôsus. Si vltima quoque natura fuerit longa, penultima acuetur, vt Athénæ, Micénæ. In compositis dictionibus vnus accentus est, non minus quàm in vna parte dictionis, vt benéfanus, intereáloci. Accentus in integris dictionibus obseruantur. In interiectionibus, & in peregrinis verbis, & in barbaris nominibus nulli certi sunt accentus. Accentuū autem legem, vel distinguendi, vel pronuntiandi ratio, vel discernendæ ambiguitatis necessitas sæpe conturbat. Sanè græca verba Græcis accentibus melius efferimus. In Latinis nunquam acutus accentus in vltima syllaba poni potest, nisi discretionis causa, vt in aduerbio poné, idco, ne verbum putetur imperatiui modi. Neque circumflexus, nisi in ea particula quæ est ergô. Acutus accentus est nota per obliquū ascendens in dextram partem. Grauis, nota à summo in dextram partem descendens. Circumflexus, nota de acuto & graui facta, ita ^ . Longus, est linea à sinistra in dextram partem æqualiter ducta, ita — . Breuis, virgula similiter iacens, sed panda à superiori, & contractior, fit ita ∪ . Hyphen est virgula subiecta versui, ita ∩ . hac nota subterposita duo verba, cum ita res exigit, copulamus, vt ante tulit gressum: Et,

Turnus vt ante volans tardū præcesserat agmē.
Huic contraria est Diastole, dextra pars quædam circuli ad imam litteram adposita, ita, ∩ . hac nota

male cohærentia discernuntur, vt est:

Tum Danaï gemitu atque ereptæ virginis, ira,
Procubuit, viridique in littore conspicitur, sus.
Apostrophus circuli item pars dextra, sed ad summam litteram adposita. Hac nota deesse ostendimus parti orationis vltimam vocalem, cuius consonans remanet, vt est:

Omni potēs genitor tanton' me crimine dignū
Duxisti: pro, tanto ne me.

Cæterum Dasian ꝛ & Pfilen ꝛ apud Latinos H littera vocali addita vel detracta significat.

DE POSITVRIS.

TRes sunt posituræ, vel distinctiones, quas ^{Græcis} Græci vocant: Distinctio, subdistinctio, media distinctio. Distinctio est, vbi finitur plena sententia. huius punctum ad summam litteram ponimus. Subdistinctio est, vbi non multum superest de sententia, quod tunc necessario separatum mox inferendum sit, huius punctum ad i nam litteram ponimus. Media est vbi ferè tantum de sententia superest, quantum iam diximus, cum tamen respirandum sit, huius punctum ad mediam litteram ponimus. In lectione tota sententia periodos dicitur: cuius partes sunt, cola, & commata.

F I N I S.

263

AD MARĪ VICTORINI LIBROS III. NOTAE.

PAGINA IO. I. *adere coniuncta lego, adere nisi coniuncta vocalib.* Terentianus, *Vocalia rictum nisi iuncta differarint.* v. 8. *reprehensio* legere malim cum Terentiano, *depresso*: sed nihil muto. vide Terentianum pag. 10. v. 22. & ne in comparando tempus teram, id operis lectori relinquo: nam eam ob rem vtrunque simul ædendum curavi, vt mutuas operas tradant. idem enim argumentum: ipsissimisque interdum Terentiani verbis atque exemplis Victorinus vtitur, vt superuacuum duxerim recentioris alicuius commentarium accommodare.

PAG. 13. IO. hęc Sicilici figura abest, quæ apud Bedam sic pingitur J: apud Demetrium Alabaldū sic, J: alias J. Syrum nomen est. hanc *επλην* auersam postea appellat Victorinus.

PAG. 15. 23. hunc locum sic legendum censet Camerarius: *Antiqui pro sed sedum scribebant: sed cum nostra ætas partem litterarum in eo reseruarit, partem breuitatis gratia ex eo detraxerit, nullam immutarit, & nos per sed quam per set scribamus. sedum hac significatione nusquam legere memini.*

PAG. 17. 5. diuinandum quid auctor hęc voluerit.

PAG. 18. I. al. *iuxta π est posita. G. autē apud Græcos obtinet notā numeri sex.* at pag. xxx. v. xviii. ait, *G. numero seruire, & nonaginta significare.* prior locus mutilus, posterior vero, si satis certo, falsus. Id autē mihi videtur innuere, G postē in numerorū notis poni & sex significare, cuius figura hęc est 5'. Q vero, post π, nonaginta notare, cuius forma talis 7': hanc in Glossis Cofe, alteram erison vocari reperio. v. 27. legendum puto, *Sed ubi aliqua modo fit aut soni iactura, & totidem &c.*

PAG. 23. I. *tam d. inde &c.* hęc niendis non carent.

PAG. 27. 8. *Austruxi*, Camerarius legit, *Vxama, & attraxi, quod* PAG. 30. I. al. *indiguerunt*, legebatur, sed altera lectio magis placet, nihilque ad integram sententiam desiderari videtur, tantum *τδ. η.* quod *indagarunt* sequitur, in H (quod & η græcum & h latinum denotat) mutato, tum omnia planiora erunt. v. 24. *Coma incisa non censaries, sed casaries est & coma casa.* Camer. PAG. 33. I. al. *Sorix aut Saurix* v. 6. quamuis & formum in Glossis reperiam, existimo tamen le-

gendum, quod *formum* capiant, id est *callidum*. ex Nonnio. vide Charissium in *forfices*. P A G. 34. v. 16. Totus locus (inquit Camerarius) deprauatus, non obscuro tamen sensu. Docet enim cominunem reddi syllabam, si quo loco breuem esse oportebat, longa ponatur, per productam vocalem vel diphthongum, qua finiatur pars orationis, & qua non excipiatur à consonante, sed vocali. Decet autem omisus, incuria librarij, primus modus communium syllabarum exemplis suis conclusus, & inchoatum præceptum secundi, vt lectio talis fuisse videatur: *Si correpta vocalis desinat in consonantem, qua orationis finiat partem, & excipiatur à principali littera vocali: Est enim longa sic: Hic ait & nostris. Brevis autem sic: Hic vir hic est. Secundo, cum longa vocalis continuam in alia dictione habet sequentem vocalem breuem. Est enim brevis sic, Te Corydon o Alexi: Longa autem, Maonia generose domo ubi &c. Et idem cum vocalem &c.* P A G. 35. 23. Dicit Sosipater in hoc Vergilij versu nullam synalophen esse, sed hanc fuisse rationem quod veteres, sequuti Græcos, ω natura longā in vltima verbi syllaba pro communi vsurparint. P A G. 54. 17. ponatur B. &c. B. pro βραχ. i. breui syllaba, M vero μακρ. i. longa. Camerarius b. in a. & m. in b. mutandum censet, motus illo quod p. 65. v. 1. & sequentibus legitur. ego B. & M. retinere malo. & forte ex hoc, alter ille locus corrigendus. P A G. 70. 21. Camerarius legit, *Nec immerito.* P A G. 74. 6. legendum *antecantatiua* & *cantatiua* vel *postcantatiua*. & forte scriptum fuit *προσδιδά*, *ἰδιδά* & *ἐπιδιδά*, .i. *antecantatiua*, *cantatiua*, & *postcantatiua*. vt paulo post, *προῦμνία*, *ἐφύμνία*, vel *μεθύμνία*. P A G. 75. C A M E R. locus mendosus. sensus autem est, ad Strophē & Antistrophē & epodon, quarum vnaquaque dissimilia metra complectatur, respondere tamen proximæ periodi strophē, antistrophē & epodon, & paritatem efficere vel metri, vel temporum, quod in Pindaricis odis manifestum est. v. 30. forte legendum, *si vel bis* &c. P A G. 77. 8. *redibant*, numerum mutat. v. 19. lego - *alios* (qua maxima diuis Latitia est) at tunc longe gratissima Phœbi
Dextera consimiles medit. P A G. 93. 8. mendosus locus. lego, *sequentibus pedib. annectant*, quo pacto euenit *vocum partes integras esse* &c. & mox, *includere decet solet*, vel certe sub-

audiri

audiri debet. P A G. 101. 13. exempla hæc deprauata ac mutila ita refarcire conatur Camerarius, vt sit dimeter,
 Lyrico resonet mea musa potens.

Trimeter:

Delo noua carmina pangere gestio dulcisona.

Tetrameter:

Assis age, deprecor, o mihi Melpomene fer opem scribere nescio.

Pentameter:

Lyrico resonet mea musa potens Delo noua carmina pangere gestio dulcisona.

P A G. 102. 29. *ad incentiuum virium* &c. P A G. 110. 28. *olum intra*. Curauimus (inquit Camer.) ita excudi hoc quoque vt in codice scripto inueniebatur. Sed res ipsa clamat locū esse mendosum. sensus quidē erat planus si legeretur *decem* & *quinque*, sed tam audace in mutatione, præsertim cum paulo post eadem de re idem numerus ponatur, malo vnicuique relinquere æstimationem & iudicium suum. P A G. 125. 10. lego *ἐπορχηματιζόν*. P A G. 129. 20. exemplum non conuenit: nec quod mox sequitur, *Ararin sic super altum*.

P A G. 130. 7. forte legendum,

Segetes meum laborem, Segetes meum labo.

P A G. 138. 17. lego, *prodere* v. 25. *disidentia contraria*, forte, *disidenti* & *contraria*, P A G. 142. 13. *hæc sola* supp. *inquam*. alioquin *παρέλκει*. P A G. 148. 30. sententia exigit vt loco vltimi pedis *Troia*, iambus ponatur *tua*, aut simile quid.

P A G. 154. 2. pro *eques*, reponenda vox trochaica.

P A G. 155. 22. lego, quod & Cicero P A G. 156. 14. legit Camer.

Ecce tumet vitis tua gemmis optime Bacche.

Bacche optime vitis tua gemmis tumet ecce.

concedo priorem versum bene restitutum esse, verum secundum, qui in ipso contextu recte descriptus est, non item. lege itaque, *Bacche optime gemmis tua vitis tumet ecce*, qui versus Sotadius est, *βασροφηδόν* .i. retrogrado ordine si legas, habebis hexametrum heroum,

Ecce tumet vitis tua gemmis optime Bacche.

P A G. 157. 5. *Icarium*, &c. habes libro primo Anthologiæ epigrammatum huiusmodi:

Ἰπποκράτης Φάϑ ἦν μερόπων κῆ σώετο λαῶν

Εἴθε καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἐν αὐτῷ.

si à fine incipias, eiusdem generis distichon rursum habebis, & eiusdem sententiæ. nec Philelphi distichon præteribo, quod vt verso ordine, etiam versa sententia legitur:

Laus tua non tua fraus virtus non copia rerum

Scandere te fecit hoc decus eximium. huiusmodi versus

reciprocus ab ocijis curiosis inuentos ait Diomedes lib. 1 11.

PAG. 159. 21. διμοίρον ἐπ.] trimoeron forte, vel certe dimetrum epic. v. 23. Sapho dicitur composuisse continuum numerum per syllabarum. equidem non dubito quin continuum dimetrum (vel trimoeron) pentasyllabon legendum sit. & pagina 176. 24. vt supra, τριμοίρον vel dimetrum. PAG. 180. 17. lego, *ere curuo.* vide Terentianum pag 72. v. 24. PAG. 181. 29. quolibet, videtur hic aliquid deesse. PAG. 191. 23. hic creterras reposuimus, cum antea legeretur, *ere terras* PAG. 192. 14. *oberit trochæo*] syllaba longa nempe. & hæc duo vocabula deesse videntur. v. 25. *qui terminus* &c. hic legendum putat Camer. *Saturnius.* ego nihil mutandum censeo: sententia enim integra est: hoc enim ait, & principium & finis seu terminus habet spondeum. v. 30. *Thacomestus*] Polymnesti mentio fit apud Plutarchum lib. de Musica. PAG. 193. v. 30. *adiectiones* videtur legendum. PAG. 198. 23. hic quædam Callimachi videntur deesse. PAG. 207. 9. *regibus.* deest syllaba *hic*, aut tale quiddam. PAG. 213. 16. lege ex Terentiano, *Sonat hoc subinde metro* &c. PAG. 220. 18. *pleniore*] Camer. legendum suspicatur, *dum pleno ore intonant tragica.* quid si legas? *sacri furoris spiratione* (quem diximus *enthusiasmum*) *pleni, ore intonant tragica.* hic certe σοχάζεσθαι liberum. Vide Platonem in Phædro. PAG. 224. 8. *alij trimetron epicon*] & hic trimoeron legendum videtur, causam enim reddit, quod *pars tertia epici versus.* sed quum & pag. 238. v. 10. iterum reperiatur, hæsito. PAG. 228. 23. *Epigramma composuit*] ἀπεσδιόνησεν mihi quidem hoc epigramma videtur. lego, ἐπικὰ ἄσμα, vel ἐπικὰ ἄσματα, vel metra.

